



**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Ex Metaphysica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

DISPUTATIONES METAPHYSICÆ

AUCTORE

R. P. THOMA COMPTONO

E SOCIETATE JESU.

P R O O E M I V M.



Hæc est ultima Philosophia pars, brevissimeque communiter tractari solet, non quod ex omnibus scitu minime sit necessaria, sed cum ubique quaestiones Metaphysicae toto triennio decursu occurrant, omnes ferme prius discussæ sunt, quam ad proprium earum locum perveniantur. Nos in Logica egimus de Ente præcisionibus universali, & Ente rationis: in physicis de principio individuationis, quoad determinationem hujus potius quam illius individui, quæ proinde hic non erunt repetenda, sed ad pauca alia quæ restant examinanda pergemus.

Fusè hic disputant aliqui de objecto in communi & multiplici illius divisione, sicut etiam de subalternatione scientiarum: sed primum nos latè in præfationibus Logicae tradidimus d. 2. s. 4. & 5. alterum in libris de Anima: qui tamen plura cupit, consulat P. Hurtado in Proœmio Metaphysicae, ubi hæc fusissimè tractat.

Objectum Aggregationis Metaphysicae est ens reale; de ente quippe rationis nulla scientia tractat per se & primariò, sed qualibet secundariò: nec alia opus est probatione prioriori parte conclusionis, quam quod sæpius jam diximus, nempe idem esse objectum alicujus scientiæ habitus, & potentia, & omnium illius actuum. Cum ergo omnes actus Metaphysicae versentur circa ens reale objectum adequatum illius est ens reale. Quod autem Metaphysica agat de ente reali, videtur manifestum: nam demonstrat illius passiones, proprietates, & attributa, ejusque naturam explicat. Considerat verò etiam Metaphysica Deum & Angelos, resque omnes incorporeas, quæ nullum dicunt ordinem ad materiam: unde animæ rationalis consideratio non videtur spectare ad Metaphysicam, cum dicat essentialem ordinem ad corpus, utpote actus informativus illius.

Objectum verò Attributionis Metaphysicae est Deus: qua de causa Aristoteles primos (dignitate) Philosophos, id est, Metaphysicos, passim vocat Theologos, & hanc scientiam divinam, quod nimirum Deum ut naturali lumine cognoscibilem indaget. unde S. Thomas l. 3. cont. Gen. c. 25. n. 6. sic habet, ipsa prima Philosophia (hoc est Metaphysica) tota ordinatur ad Dei cognitionem sicut ad ultimum finem, unde & scientia divina nominatur.

Probatur ergo eodem modo quo in Logica probavimus definitionem esse subjectum Attributionis Logicae: illud quippe est subjectum Attributionis alicujus scientiæ, de quo scientia illa per se agit & ad quod cognoscendum, seu in esse scibili cetera referuntur omnia, quæ in scientia illa tractantur; sed de Deo agit Metaphysica, & ad illius cognitionem cetera omnia referuntur, quæ in illa disputantur, ergo Deus est subjectum Attributionis Metaphysicae. Major est recepta ab omnibus, minor quoad primam partem certa, quoad secundam probatur; id quod ultimò intendit philosophia, est per cognitionem rerum creaturarum, & entium secundariorum pertingere ad cognitionem primi entis, seu Entis entium, ut loquebantur antiqui, ad cujus cognitionem per res creatas, sicut per rivulos ad fontem continuo quodam tractu deducuntur. Cum ergo in ordine ad cognitionem Dei

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

C c c

cetera

I.

Quæ Metaphysica quaestiones tractatae sunt in Logica.

II.

De objecto scientiarum dictum est in Logica d. 2. s. 4. & 5.

III.

Objectum aggregationis Metaphysicae est ens reale abstrahens à materia.

IV.

Objectum attributionis Metaphysicae est Deus.

V.

Probatur Deum esse subjectum attributionis Metaphysicae.

Sicut in esse reali, ita in esse scibili omnia referuntur ad Deum.

cetera tractentur, de quibus agit Metaphysica, omnia, sicut in suo esse à parte rei, ita in esse scibili, in tractatione Metaphysica referuntur ad Deum tanquam ad finem.

Differt tamen Metaphysica in cognitione objecti sui Attributionis à Theologia; quod hac Deum consideret ut auctorem supernaturalem, & per fidem revelatum, unde una semper præmissa in demonstratione Theologica est fidei: Metaphysica verò considerat Deum ut viribus naturæ cognoscibilem: nec eum cognoscit ut Trinum, sed tantum ut unum, secus Theologia.

Est verò Metaphysica, sicut & alia scientia, aggregatione tantum una, simpliciter etiam speculativa, cum objecta illius, ut Deus, Angeli, & ens ut sic, non sint factibilia; respectu tamen objecti secundarii, nempe entis rationis, potest dici practica; quia dum illius naturam & proprietates docet, modum illud consociendi ostendit.

VI.
Quomodo in
Dei considera-
tione differat
Metaphysica à
Theologia.

VII.
Metaphysica
respectu ob-
iecti prima-
rii est specu-
lativa, res-
pectu secun-
darii practica.

DISPUTATIO PRIMA.

De Ente & ejus attributis.

Pleraque ad
entis notiti-
am spectan-
tia discussa
sunt in
Log. d. 40.



Auca hic restant de Ente investiga-
da, utpote cujus naturam fuisse decla-
ravimus in Logica, ubi d. 40. sec. 3 &
4. ostendimus quomodo Ens etiam
ratione nostra transcendat ultimas
rerum differentias; & licet abstrahi ab ijs possit,
non tamen contra illa ab ente, sicque diximus in-
ter ens & differentias dari præcisionem non mutu-
am. Ibidem etiam ostendimus posse abstrahi unum
conceptum entis, cumque non esse univocum, sed
analogum. Nunc ad alia procedamus.

SECTIO I.

Nonnulla in particulari inquiruntur circa naturam Entis.

I.
Ens reale
est, in cuius
conceptu
obiectivo
nulla invol-
vuntur con-
tradictoria.

Inquirendum imprimis quid sit Ens reale ut sic,
prout competit omnibus rebus realibus? Dico
ergo, conceptum Entis realis in hoc situm esse, quod
in conceptu suo obiectivo non involvat prædicata
contradictoria, sed dicat aptitudinem Logicam, seu
non repugnantiam ad existendum. Unde, Ens idem
videtur esse quod possibile, de cuius conceptu for-
mali multa dicta sunt in Logica, d. 18. dum de nega-
tionibus, & nonnulla postea subjiciuntur. Ac prinde
quod non existit, sed solum est possibile, non est
actu Ens, cum nihil habeat, nec sit: actu, sed solum est
Ens in potentia Logica, seu habet non-repugnantiam
ad existendum, vel ut sit Ens actu. Hæc ergo pro-
positiones, *Anti-Christus est Ens, Bucephalus est Ens*
&c. sunt implicite conditionatæ, & faciunt hunc
sensem, *Anti-Christus & Bucephalus, quandoque*
existunt, sunt Ens. Nec tamen potest Anti-Christus
jam dici simpliciter non ens, nisi denominativè, nec
enim Anti-Christus jam est negatio, sed loco illius
existit negatio ejus contradictoria, à qua denomi-
natur non ens, seu non existens.

Hæc, & si-
miles propo-
sitiones
Anti-
Christus
est Ens,
faciunt sen-
sum condi-
tionatum.

II.
Non ita re-
cte explica-
tur concep-
tus Entis
per opposi-
tionem cum
Chimara.

Melius autem hoc modo videtur explicari con-
ceptus entis, quam sicut nonnulli illum explicant
per oppositionem cum Chimara; illa enim explica-
tio est, per se loquendo, melior quæ clarius declarat
rem quam assumit definiendam; sed clarius explica-
tur conceptus Entis in ordine ad existentiam, quam
per oppositionem ad Chimaram, esto enim verè ha-
beat oppositionem illam, difficilius tamen formatur
conceptus Chimara, quam existentia, utpote quæ

inter res omnes sit notissima, cum experientia quo-
tidiana constet res existere.

Secundum quod inquirimus est, utrum Ens ha-
beat attributa? Attributa vocantur ea, quæ alicui
rei attribuntur, eique jam constitutæ aliquo modo
accedunt, ac proinde non sunt de primo illius con-
ceptu, sed illam consequuntur. Sic in Deo iustitia,
misericordia, & alia hujusmodi vocantur illius at-
tributa, quia nimirum essentia Divina accedunt
quasi ratione nostra, & attribuntur.

Attributum ergo quoad hoc convenit cum Pas-
sione & Proprietate, quod sit quid consequens
essentiam rei, ac proinde nequit esse de primo illius
conceptu. In hoc tamen differt attributum à pas-
sione, quod passiones & proprietates dicant realem
distinctionem ab essentia, attributum verò nequa-
quam, sed importat solum distinctionem rationis.

Quoad Ens verò, certum videtur, illud non ha-
bere attributa realiter distincta, seu proprietates &
passiones propriè dictas, sicut calor est proprietas
ignis, frigus aquæ, &c. Ratio est clara, quia nulla ex-
cogitabilis omnino est passio distincta ab Ente, quæ
non sit formalissimè Ens, cum Ens, sicut transcen-
dit differentias ultimas ratione, ita à fortiori in
qualibet Entitate reali, physica & reali transcen-
dentia includitur, ergo hæc passio non distinguitur
realiter ab Ente. Deinde, si Ens ut Ens habeat pas-
siones realiter distinctas, ergo, cum quævis passio sit
Ens, debet habere novas passiones, & illæ novas, &
sic in infinitum: vel dicendum, Ens in quantum Ens,
non habere passiones realiter distinctas.

Dices, ergo nec habere poterit Ens attributa &
passiones ratione distinctas. Negatur tamen conse-
quentia: ratio est, quia distinctio per intellectum
potest esse non mutua, est enim potius quædam se-
paratio quam distinctio, ut in Logica ostendimus
d. 24. dum de Præcisionibus, s. 5. & sextâ. Sicut ergo
Ens realiter distincta non possunt semper inter se
realiter separari, ut modus separari non potest à re
cujus est modus, licet res separari possit à modo;
creatura etiam separari nequit à Deo &c. ita & dari
poterit distinctio objectiva non mutua per intelle-
ctum. At verò nullibi dari potest distinctio realis
non mutua; si enim hoc distinguitur ab illo, illud
etiam ab hoc distingui necessarium est.

Attributa Entis numerantur hæc quinque, quo-
rum mentionem fecimus in summis, nempe *Res, Ali-*
quid, Unum, Verum, Bonum, quæ hic sunt explicanda,
licet

III.
Quia sit nota
Attributa.

IV.
In quo differat
Attributum à pas-
sione, seu
Proprietate.

V.
Ens habet
attributa,
non passiones,
seu proprie-
tates.

VII.

Ostenditur
quomodo
Ens, licet
habeat ne-
queat passio-
nes, possit
tamen ha-
bere Attri-
buta.

Attributa
Entis sunt
quinque.

da, licet duo prima vix differant ab Ente, Res enim & Aliquid significant Ens solum ut distinguitur à nihilo, quod perinde est atque Ens, seu habens entitatem, & existentiam. Res, ergo significat aliquid habens entitatem ratam & fixam. Aliquid est quasi aliud quid, vel, ut explicant alij. Aliquid est habens aliquam quidditatem. Reliqua verò tria attributa non distinguuntur ab Ente tanquam conceptus obiectivi, ab eo præscindibiles, cum nulla omnino res sit, quam & re & ratione non transcendat ratio Entis, ut jam dictum est, licet non semper fortè explicitè de eâ fiat mentio: non minùs enim implicat concipere substantiam quæ est Ens per se, sine Ente, quam concipere hominem sine animâ, vel numerum ternarium sine unitate, ut fusiùs declaravimus in Logica.

Notandum verò, hæc Attributa esse sibi invicem attributa, & unum esse attributum alterius. Ratio est, quia Ens, ubicunque est, habet sua attributa; sed includitur formalissimè Ens in quovis entis attributo, ut ostensum est, ergo & attributa Entis in singulis etiam attributis includuntur, sicque bonitas est vera, sicut est Ens, & veritas est bona & amabilis in quo differunt illa ab attributis Divinis: hæc enim, juxta multos, non se invicem transcendunt, nec includunt. Etiam si verò se se includant invicem hæc Entis attributa, in nonnullis tamen ex his certa reperitur subordinatio; ex eo enim quod aliquid, sit Verum, & consequenter aptum terminare cognitionem veram, sequitur, esse bonum & aptum terminare amorem, in quo autem consistant attributa bonitatis & veritatis, dicitur postea.

SECTIO II.

Quid sit unum.

MERITO conqueuntur aliqui, nimia disputatio- ne & discussione, res alloqui faciles, reddi difficiles: quod si alibi uspiam hic certè vel maximè verum haberem; summa enim inquisitione, & importuna subtilitate in his Entis attributis explicandis, tales eis tenebras offundere, ut in labyrintho se se reperiat, quiquis eorum explicationem aggreditur. Quid enim notius quam dari unum in rerum natura, ut est unus Deus, unus sol, unus homo, leo &c. at quid sit hominem esse unum, ita difficile est, ut vix explicari possit. Rem quæ potero brevitate, & claritate exponam.

Unum ergo est indivisum in se: in hoc omnes conveniunt, licet quid sit aliquid esse indivisum in se, maximè dissentiant. Omisissis varijs dicendi modis, Notandum, rem quor modis dicitur indivisa, tot etiam dici unam; si est indivisa integraliter, est una integraliter, sicque duæ aquæ jam unitæ, cum modò sint integraliter indivisæ, seu unitæ, faciunt unam aquam: si verò res aliquæ sint indivisæ substantialiter, seu unitæ unione substantiali, ut corpus & anima in homine, tunc faciunt unum substantialiter: ac proinde ut res absolute sit una, debet esse indivisa omni modo sibi competente.

Unitas autem, vel indivisio de qua loquimur, in præsentia, est unitas quidditativa, seu singularis, competens omnibus rebus, corporeis & spiritibus simplicibus & compositis, substantiæ & accidenti, & ceteris. Consistit verò hæc unitas in individuatione rei in se, id est, ut res non dividatur in plura se, seu in plura quæ sint adæquatè idem cum illâ, ut rectè notavit P. Hurtado d. 4. Metaphysicæ. Hæc verò unitas, licet explicetur per negationem sicut & distinctio, irrationale, aliaque hujusmodi, non tamen consistit formaliter in negatione, cum quia

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

juxta Aristotelem 4. Metaphysicæ, eundem est homo, unus homo, ens homo, quod tamen esse non possit, si unitas esset negatio, negatio enim maximè distinguitur à re positiva: tum præterea quia divisio est negatio, divisio enim est negatio unionis, ea quippe dividuntur quæ carent unione, sicut dividi dicitur & separari una pars aquæ ab aliâ, & anima à corpore, quando destruitur unio, continuationis ibi, hic informationis.

Est ergo hæc unitas ipsa cujusque rei entitas, explicabilis per negationem unionis cum aliâ re, quæ sit adæquatè eadem cum ipsâ, ac proinde differt à distinctione, quod licet hæc etiam consistat in positivo quando res quæ distinguuntur, sunt quid positivum, ut dictum est in Logica d. 19. sect. 2. quod idem dici debet de unitate, est tamen distinctio res positiva ut explicabilis per negationem identitatis cum aliâ re: at verò unitas est res aliqua ut explicabilis per negationem unionis cum aliâ re, quæ fons eadem adæquatè cum ipsâ. Cum ergo divisio sit negatio unionis, individuatō autem sit illi contradictoriè opposita, nempe negatio divisionis, seu talis negationis, debet necessariò esse quid positivum, contradictorium enim negationis semper est entitas positiva, ac proinde indivisum erit conceptus positivus.

Dices; unitas & pluralitas opponuntur contradictoriè, sed pluralitas est quid positivum, nempe variæ entitates positivæ, ergo unitas formaliter consistere debet in negativo. Resp. pluralitatem seu multitudinem duo dicere, & entitates positivas, & negationem unionis; si enim inter se unirentur res illæ, non essent omni modo & simpliciter pluralitas, seu plures, sed dici possent unum, cum jam constituerent unum: unitas ergo opponitur multitudini, non secundum positivum quod dicit, sed negativum.

Resp. secundo, advertendo, unitatem quoad præsens, duplicem esse, singularem, seu transcendentem, de qua hic agimus, & numeralem, seu quæ est principium numeri, & hæc postrema unitas non dicit solam distinctionem rerum inter se, sed deunionem, seu separationem: pluralitas autem & unitas numeraliter sumptæ non opponuntur; cum pluralitas constet unitatibus, pluralitas enim numeraliter sumpta est quantitas discreta, non continua: unde sicut unitas numeralis dicit negationem unionis cum alijs rebus, ita multitudo, seu pluralitas dicere debet varias negationes unionis.

Quando ergo Aristoteles affirmat unum & plura opponi contrariè, non loquitur de uno & pluribus numeraliter sumptis, sic enim non opponuntur contrariè, cum numerus, ut dixi, constet ex unitatibus, sed comparat unum transcendentaliter cum pluribus numeraliter sumptis, sicut communiter sumi solet pluralitas.

Quæres, quid sit unum per se, & unum per accidens? Resp. unum per se propriissimè sumptum accipi pro substantiâ indivisibili, qualis est Angelus, vel pro compositâ ex partibus substantialibus, verâ & substantiali unione inter se unitis, ut est homo, leo, ignis, &c. Unum per accidens rigorosissimè sumptum est, cum plura sine verâ unione sibi invicem adjunguntur, ut cervus lapidum, exercitus &c. Alia medio modo se habent, & respectu unius per se propriissimè sumpti, sunt unum per accidens, respectu verò unius per accidens rigorosissimè sumpti, dici possunt unum per se. Quare quantitas & alia accidentia, quæ unione continuativâ inter se, vel unionis informationis uniantur substantiæ, respectu aggregati per accidens dicuntur facere unum per se quia verâ & physicâ unione conjunguntur, respectu verò hominis, leonis, & similibus censentur unum per

Ccc 2 accidens

Unitas, licet explicetur per negationem unionis cum aliâ re, quæ sit adæquatè eadem cum ipsâ, ac proinde differt à distinctione, quod licet hæc etiam consistat in positivo quando res quæ distinguuntur, sunt quid positivum, ut dictum est in Logica d. 19. sect. 2. quod idem dici debet de unitate, est tamen distinctio res positiva ut explicabilis per negationem identitatis cum aliâ re: at verò unitas est res aliqua ut explicabilis per negationem unionis cum aliâ re, quæ fons eadem adæquatè cum ipsâ. Cum ergo divisio sit negatio unionis, individuatō autem sit illi contradictoriè opposita, nempe negatio divisionis, seu talis negationis, debet necessariò esse quid positivum, contradictorium enim negationis semper est entitas positiva, ac proinde indivisum erit conceptus positivus.

IV.

Quomodo differat unitas à distinctione.

Probatur ulterius unitatem esse quid positivum.

V.

Dices; pluralitas est quid positivum, ergo unitas formaliter consistere debet in negativo.

Resp. pluralitatem esse quid positivum, ergo unitas est negativum.

VI.

Unitas dupliciter est, transcendens, & numeralis.

VII.

Quomodo enjuncta dicat Aristoteles unum & plura opponi contrariè.

VIII.

Quid sit unum per se, & unum per accidens.

Medio modo se habent respectu unius per se propriissimè sumpti, sunt unum per accidens, respectu verò unius per accidens rigorosissimè sumpti, dici possunt unum per se. Quare quantitas & alia accidentia, quæ unione continuativâ inter se, vel unionis informationis uniantur substantiæ, respectu aggregati per accidens dicuntur facere unum per se quia verâ & physicâ unione conjunguntur, respectu verò hominis, leonis, & similibus censentur unum per

cidens, quia eorum unio est accidens. Et hoc verum existimo quantumvis accidens quod substantia existat, maxime connaturaliter, & per se ab ea petatur.

Unde calor facit unum per accidens cum igne, frigus cum aqua, intellectus & voluntas, si distinguantur, cum anima.

DISPUTATIO II.

De principio individuationis.

SECTIO PRIMA.

Vnde sumatur cuiusque rei unitas individualis.

I. **N**on est hic sermo de individuatione illa extrinsecâ desumptâ vel à loco, vel tempore, aut à causâ primâ, seu quod hic & nunc producat hoc individuum potius quam aliud: de hac enim diximus in Physicis, d. 31. cum de determinatione ad individuationem, ubi eam ut plurimum fieri diximus à causâ primâ. Quæstio ergo in præsentia procedit de aliâ individuatione nempe unde proveniat quod sint possibilia plura individua numero distincta in eadem specie.

Statu præsentis quæstionis.

II. Celebris hac in re est Thomistarum quorundam opinio asserentium omnem huiusmodi individuationem desumi à materiâ signatâ, seu tali accidentium apparatu quasi sigillatâ. Unde res nullum dicentes ordinem ad materiam, ut Angelos, dicunt non posse multiplicari solo numero, sicque non solum affirmit Michaëlem, Gabrielem, & ceteros omnes Angelos, qui de facto sunt creati, differre specie, sed ulterius addunt, implicare duos Angelos solo numero diversos. Hanc etiam sententiam amplectuntur aliqui ex nostris, ut P. Grando 1. p. tr. 1. d. 4. in gratiam S. Thomæ, qui 1. p. qu. 51. ar. 4. huic opinioni nonnihil favere videtur, licet alij ipsum probabiliter explicent locutum solum esse de facto, non de possibili.

III. Contraria ergo sententia, nempe individuationem non desumi à materiâ taliter signatâ, & consequenter posse dari duo vel plura individua solum numero diversa in rebus quæ nullum dicunt ordinem ad materiam, duos Angelos ex. gr. est in scholis longè communior: eamque veram existimo. Ita noster Scotus in 2. d. 3. q. 7. Alensis 2. p. q. 20 memb. 6. ar. 1. & 2. Albert. Magnus 2. p. tr. 2. qu. 8. S. Bonav. in 2. d. 3. p. 1. ar. 2. qu. 1. Richard. in 2. d. 3. q. 1. ar. 5. Gabriel in 2. d. 3. q. 1. ar. 2. & ex Thomistis Capreolus in 2. d. 3. qu. 1. ar. 3. Ferrara 2. cont. Gent. c. 93. Ban. 1. p. q. 51. Molina 1. p. qu. 51. ar. 4. Suarez d. 5. Met. sect. 2. nu. 24. & 28. & 1. de Ang. c. 12. Valen. 1. p. d. 4. q. 1. ar. 3. 6. secunda sententia: Valqu. 1. p. d. 181. cap. 3. P. Hurt. d. 12. Met. 1. 3. nu. 12. P. Ariubal 1. p. d. 150. Tanner. 1. p. d. 5. q. 1. d. 5. n. 19. Arriaga d. 1. Met. 1. 3. à numero sexagesimo, & alij.

IV. Probatur primo: res enim variæ multiplicantur solo numero, quæ nullum dicunt ordinem ad materiam, ergo principium individuationis non potest adæquate desumi à materiâ, quod tamen est fundamentum contrariæ sententiæ. Antecedens probatur, idem enim Angelus habet successivè motus, ubicationes, intellectiones, & volitiones numero tantum distinctas, nec enim ullum est fundamentum asserendi Angelum dum postea in eodem loco movetur, aut quiescit, ubi antea quiescebat, & movebatur, habere motus aut ubicationes specie distinctas, priores autem, saltem naturaliter, reproduci non possunt, sed hæ res, purè spirituales cum sint, nullum dicunt ordinem ad materiam, ergo.

Dicunt, res illas individuari à subiecto eodem cui insunt. Contrâ primò, ergo materia signata non est principium adæquatum individuationis. Contrâ secundò, sicut accidentia spiritualia possunt individuari à subiecto spirituali, sicque multiplicari solo numero, cur non possunt subiecta ipsa spiritualia numero etiam distinguere? certe nulla assignari videtur posse ratio in quâ animus acquiescat. Contrâ tertio, plures formæ substantiales numero diversæ multiplicantur circa eandem partem materiæ, ergo individualis multiplicatio non sumitur à materiâ, sic enim singulis formis singulæ assignari deberent materiæ numero distinctæ. Contrâ quarto, nam potius forma deberet esse principium individuationis; forma enim est quæ distinguit, sicut & quæ constituit. Unde videmus in hominibus distinctionem numericam peculiari modo tribui animabus.

V. Licet ergo in respectivis ex termino specie diverso, quem respiciunt, sequatur specifica diversitas in ipsis rebus, ita ut nequeant non specie distinguere illa quæ respiciunt terminum specie diversum, & numero, ubi numerica diversitas est in terminis, (reducit enim in uno prædicatum specie vel numero distinctum, quod non reducitur in alio) at non sequitur è contrâ, respicit eundem terminum specie, vel numero, ergo non distinguitur specie vel numero, cum distinctio ex alijs capitibus desumi possit: multo minùs sequitur non distinguere numero, nisi per ordinem ad materiam.

VI. Secundo probatur conclusio: licet enim concederetur individuationem in rebus corporalibus desumi à materiâ signatâ, non tamen id sequitur in spiritualibus; nam etiam specifica diversitas in rebus corporalibus essentialiter respicit materiam, & tamen non propterea sequitur, res spirituales desumi posse distinguere specie: ergo sicut possunt hæ habere distinctionem specificam non emendicatam à materiâ, poterunt etiam habere numericam. Neque ulla est ratio, cur non possit individuatō alicujus rei desumi ab ipsamet re, seu res individuari formaliter à seipsâ.

VII. Probatur tertio: ipsa saltem materia, vel quantitas debet individuari intrinsecè à se, quidni ergo & aliæ res poterunt eodem modo individuari? nec enim est major ratio unius, quam alterius. Conf. nam accidentia numero diversa respiciunt eandem numero materiam, & quæ sunt in unâ, potuissent esse in aliâ, ergo non potest individuatō univèrsim desumi ab hac materiâ, vel quantitate. Et hinc etiam constat res nullum dicentes ordinem ad materiam, ut Angelos, posse multiplicari numero intra eandem speciem: si enim res quæ dicunt ordinem ad materiam, possunt diversæ numero respicere eandem materiam, ut constat, & eadem numero diversam, ergo signum est etiam accidentia ista, & formas substantiales materiales non individuari à materiâ sed à se, ergo & animæ, & res purè spirituales, individuantur similiter à seipsis, & non à materiâ, & consequenter poterunt multiplicari numero intra eandem speciem.

SECTIO

SECTIO II.

Objectiones contra nostram sententiam de principio individuationis.

I. Obijciat auctoritas Aristotelis.

Objicies primò Aristotelem, qui varijs locis, quæ videri possunt apud P. Fonseca tom. 2. l. 5. Met. c. 6. qu. 4. secl. 1. expressè docere videtur Intelligentias solo numero differre non posse quia carent materiâ. Sed, ut bene Fonseca citatus, Aristoteles in varijs erravit circa naturam Angelorum & rerum spiritualium; sicut inde conatur probare non posse esse nisi unum cælum, quia non est nisi unus Deus: hunc autem arguit non posse esse nisi unum, quia caret materiâ, quæ utraque ratio perinde probat intentum. Deinde, vul Aristoteles Intelligentias necessariò existere: ex quo infert, non esse possibiles duas numero tantum distinctas, sic enim de facto, inquit, existent plures hoc modo distinctæ: nam in per se necessariis idem est posse, & esse: quod argumentum nihilo verius est præcedente. Certum ergo est, Aristotelem, circa Angelorum naturam mirè fuisse hallucinatum, ac proinde illius auctoritatem hac in parte esse nullam.

Resp. Aristot. circa naturam Angelorum, mirè errasse.

II. Obij. res spirituales individuantur per suas essentias.

Obijcies secundò: rem spirituales absolutam individuari seipsa, cum enim materiam non habeat, nec ad eam dicat habitudinem, nihil est in eâ excogitabile quod addatur illius essentiae, & consequenter ratio ipsa specifica est individuat, ergo quot individua, tot species, & quot species tot individua, ergo nulla sunt numero tantum distincta. Sed contra, in omni enim re individuatō realiter identificatur cum essentia, seu ratione specifica, sicque secundum hoc res omnes, siue spirituales, siue materiales sint, essent distinctæ specie.

III. Quo sensu res spirituales individuantur per suas essentias?

Quando ergo dicunt rem spirituales individuari seipsa, vel sensus est, individuari ex vi suæ rationis specificæ formaliter, & tunc petitur principium, hoc enim est quod querimus, nec ulla ratio assignari potest cur sicut in alijs rebus, ita & in his individuatō distinguatur nequeat ratione à conceptu specifico: si verò per rem spirituales individuari seipsa, solum velit quis individuari per suam entitatem realem, hoc non arguit non posse dari duas res spirituales solo numero distinctas, magis quam duas res corporeas.

IV. Obij. non implicat res spirituales creatas, cuius individuatō sit ejus essentia.

Obijcies tertio: non implicat natura aliqua creatæ, cujus individuatō sit formalissimè ejusdem essentia; de facto enim hoc cernimus in naturâ Divinâ: quidni ergo dicamus naturas Angelicas omnes esse hujusmodi, sicque omnes distinguuntur specie. Contra primò, non magis implicat hoc contradictionem in rebus corporeis, ergo omnes etiam res corporeæ distinguuntur specie. Contra secundò, eodem modo arguere quis posset, non implicare creaturam, quæ non adducat aliam ejusdem generis, taltem subalterni secum, seu quæ sit immultiplicabilis genere, sicut dicunt adversarij non implicare creaturam, quæ sit immultiplicabilis specie: ergo Angeli omnes erunt non specie tantum, sed genere diversi. Responderetur ergo tum ob hæc hujusmodi creaturam repugnare, tum quia nulla ratio ostendi potest, cur alia ei similis dari non possit.

Retorquetur argumentum.

V. Ex eo quod repugnet duo Dij, non repugnant duo Angeli numero distincti.

Quod verò addunt de naturâ Divinâ, manifesta est disparitas, ipse enim conceptus Dei infert secum unitatem numericam in naturâ, plures enim Dij sunt Chimææ ob varia inconvenientia, quæ ex hac multiplicitate sequerentur: at verò quod duo vel plures Angeli existant numero distincti, quid incommodi? Deinde, alia est disparitas inter Naturam Di-

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

vinam & creatam: sicut enim propterea dicunt omnes repugnare duos vel plures Deos specie aut genere distinctos, quia est de essentia Dei habere secum identificatam omnem perfectionem Divinam, ita & ob eandem rationem repugnabunt duo numero tantum distincti.

SECTIO III.

Peculiaris difficultas circa principium individuationis.

Objicies quartò: differentia ultima, seu individuatō in Angelis est operativa, ergo est de ratione & conceptu specifico; operativum enim quodale, spectat ad speciem. Antecedens probatur, unus enim Angelus ut differt, ab alio secundum ultimum illud in quo differt, est operativus, quivis enim Angelus est intellectivus sui per suam substantiam, & hoc unicuique est proprium, ita ut alteri non competat, ergo.

I. Obij. ultima differentia est operativa, ergo perinet ad rationem speciem.

Contra primò, hinc enim sequeretur omnes animas rationales distinguere specie, cum secundum ultimam sui differentiam sint etiam operative. Contra secundò, sequeretur eodem modo duos quoscunque colores, & species eorum impressas differre specie, nam juxta communiolem sententiam unus color quantumcunque similis alteri, non potest producere speciem impressam alterius; similiter species impressa unius albedinis non potest producere visionem alterius, quantumvis fingatur similis; ergo omnes omnino colores & species impressæ distinguuntur specie.

II. Contra, hinc sequitur omnes animas, & colores distinguere specie.

Resp. itaque, non omne illud spectare ad rationem speciem, formaliter loquendo, quod est operativum, seu principium alicujus operationis; res enim quævis physica est realiter loquendo principium cujusvis operationis physice: tribuendo autem singula singulis, ratio generica principij est principium formale operationis alicujus, ut genere differt ab alia, ratio specifica, ut specie, ratio demum individua lis ut numero. Sic in Angelo principium reale completum cujus numero intellectiois ut quatuor ex. gr. est hic numero Angelus intellectivus ut quatuor, principia verò formalia illius sunt plura ratione distincta: ut enim est intellectio, principium illius est Angelus ut intellectivus; in quantum est intellectio ut quatuor, principium ejus est Angelus quatenus intellectivus ut quatuor, ut demum est talis intellectio Angelice, ut quatuor, principium illius est Angelus ut hic numero intellectivus ut quatuor. Realiter tamen loquendo, non potest ullum prædicatum non esse operativum, imò operativum totius, actionis, cum realiter omnia identificentur.

III. Tribuendo, singula singulis quænam sint principia operationum.

Principium reale, & formalis intellectiois Angelice.

Dices; hic numero Angelus est intellectivus sui modo dicto, & alius sui, ergo unus habet prædicatum aliquod quod alter non habet, ergo sunt dissimiles, ergo non sunt ejusdem speciei. Contra, nam secundum hoc plurima quæ censentur passim differre tantum numero, imò ferè omnia differunt specie, cum aliqua dissimilitudo inter omnia penè reperitur. Et ut omitam exempla jam posita, ignis A est productivus omnium ignium præterquam sui, & ignis B similiter, sicque in uno relucet prædicatum, quod non relucet in alio, & è contra: ergo inferre quis eodem modo posset, illos, & consequenter omnes ignes differre specie.

IV. Vel duo Angeli possunt differre solo numero, vel res propriæ omnes differunt specie.

Licet ergo reperitur aliqua dissimilitudo inter quævis duo individua, cum unum quodque aliquid in se includat diversum ab alio, non tamen differunt specie, nec ad convenientiam speciem requiritur

V. Non quævis dissimilitudo constituit distinctionem speciem.

omnimoda similitudo, ut dictum est in libris de Anima disp. 5. sect. tertia. Ratio autem ulterior hujus est, quia differentia individualis verè spectat ad perfectionem substantialem cujusque rei, estque verum ac proprium illius prædicatum substantiale, & aliquo modo quidditativum ac proinde cum quævis duo individua habeant diversam differentiam individua-lem, verè erunt aliquo modo dissimilia.

VI.
Dices, differ-
entia indi-
vidualis vo-
catur acci-
dentalis.

Quo sensu
differentia
individualis
vocatur
materialis,
& acciden-
talis.

Dices; differentiam individua-lem vocari acciden-
talem, materialem &c. item de individuo dicunt Philo-
sophi non dari scientiam, ergo non continet differen-
tia individualis perfectionem; & consequenter nec
facere potest dissimilitudinem inter duo: si ergo sint
dissimilia, provenit dissimilitudo illa à ratione spe-
cificâ. Resp. quidquid sit de his modis loquendi, cer-
tum esse, differentiam individua-lem esse quid spe-
ctans ad veram & realem constitutionem cujusque
individui, & realiter in eo inveniri identitatem
cum aliis prædicatis. Quando ergo differentia indi-
vidualis vocatur materialis, accidentalis &c. non intel-
ligitur non esse de substantiâ rei cujus est differen-
tia, sed solum est materialis & accidentalis in ordine

ad scientiam humanam: homines enim parum cu-
rant notitiam differentiarum individualium, utpote
quæ & innumeræ sunt, & occultæ, ac propterea si-
stunt Philosophi in prædicato aliquo omnibus com-
muni. Angeli tamen intuitivè res cernentes, ipsas
etiam differentias individuales perfectè cognoscunt.

Tertia hac in re sententia affirmat individuari res
omnes ex respectu quem habent ad circumstantias
determinatas talis loci ac temporis, in quibus con-
naturaliter res quæ primò producitur: ita Vasq. Tom.
1. in 3. p. disp. 74. c. 7. & alij. Dicunt ergo hi aucto-
res in tali tempore non esse possibile nisi unum ali-
quod individuum talis speciei, unum scilicet homi-
nem, unum leonem, unum equum &c. tum quia
alioqui sequeretur, Deum esse causam peccati, si
determinaret ad individuationem, tunc etiam quia
nisi dicatur aliquem effectum pro tali solum deter-
minato tempore esse possibilem, sequeretur posse
eandem rem naturaliter produci. Hanc senten-
tiam latè impugnavi in Physicis, disp. 31. nec o-
pus est hîc quidquam adjungere. Videantur ibi
dicta.

VII.
Individua-
tio non su-
mitur à cir-
cumstantiis
loci, ac tem-
poris.

DISPUTATIO III.

De Vero & Falso: Bono & Malo.

SECTIO PRIMA.

Quid sit verum Transcendentale.

I. DE his duobus attributis fusiſſimè inter alios
P. Hurtado d. 7. Met. per totam, ubi pluri-
mos latè etiam de his tractantes citat. Sed
res est parvi momenti, ac proinde breviter eam ex-
pediemus.

II. Mihi hac in parte placet quod dicit Aureolus in
1. dist. 19. ar. 2. & sequuntur plurimi ex recentiori-
bus. Dicit ergo hæc sententia Verum transcendentale,
quod est attributum Entis in hoc consistere, quod
sit ens in quantum fundat negationem Entis apparen-
tis sic verum aurum est, quod non est aurum solum
apparens, seu aurichalcum, verus ignis, qui non est
pictus &c. Hæc videtur sententia S. Augustini l. 2.
Soliloq. c. 5. ubi ait, Verum esse id, quod est, non autem id
quod videtur, aut quod tale est quale videtur. Sicut ergo
Ens, quæ Ens, opponitur, non enti, ita Ens quæ verum,
opponitur Enti apparenti, ipsumque excludit.

III. Explicatur hæc sententia: nihil omnino est seu
nullum ens, quod non habeat hunc conceptum Ve-
ri; esto enim sub una ratione possit esse solum appa-
rens, sub aliâ tamen semper est Verum: sic aurichal-
cum, licet sit aurum solum apparens, est tamen verum
aurichalcum; & ignis pictus, licet sit ignis solum ap-
parens, est tamen vera pictura: ac proinde nulla
omnino res est quæ hoc sensu non habeat veritatem
transcendentalem. Unde, secundum hunc modum
explicandi veritatem transcendentalem, etiam nul-
lus intellectus esset possibilis, res tamen essent eodem
modo veræ, quo sunt: aurum siquidem in eo casu
tam esset verum aurum, & fundaret negationem au-
richalci, seu auri tantum apparentis, ac modò fun-
dat, cum rationem illam verè à se & essentialiter ex-
cludat. Ipso facto tamen quod hoc aurum sit verum,
& sit intellectus aliquis possibilis, est etiam aptum
cognosci cognitione verâ, seu conformi suæ na-
turæ.

IV.

P. Suarez d. 8. Met. sect. 7. num. 24. P. Hurt. hîc &

plurimi ex recentioribus alio modo explicant veri-
tatem transcendentalem, nempe ut idem sit verum
ac cognoscibile, estque probabilis veritatis acceptio.
Prior tamen modus explicandi veritatem transcen-
dentalem videtur probabilior: hæc quippe veritas
est aliquo modo posterior illâ, eamque supponit, ergo
potius illa est vocanda veritas transcendentalis,
quàm hæc, utpote enti, ut ita dicam, vicinior. Sed
quæstio est de modo loquendi, nec est cur ei decla-
randæ diutius immoremur.

V. Veritas secundum posteriorem hunc illam expli-
candi modum, de quo ex aliâ occasione dictum est
etiam in Logica disp. 2. sect. 2. est duplex, extrinseca
& intrinseca. Veritas, seu cognoscibilitas extrinseca est
denominatio rei cuique proveniens à cognitione
possibili: sicut enim actualis cognitio rem denomi-
nat actu cognitam, ita cognitio possibilis eandem
denominat cognoscibilem. Cognoscibilitas, seu ve-
ritas intrinseca, (idem est de amabilitate) est apti-
tudo quam res quævis ex se, & prædicatis suis intrin-
secis habet ad terminandam cognitionem, & rela-
tio quædam transcendentis ad eam ut possibilem:
unde, intellectu vel voluntate implicante, non mi-
nus implicaret res, quàm implicat materia implican-
te formâ, aut è contrâ. Ubi tamen cognitio non di-
stinguitur à re cognitâ, ut in cognitione Divina res-
pectu sui, & in actibus creatis reflexivis supra seip-
sos, nulla est relatio, quia nulla est distinctio.

Dices contra illud quod asseruimus num. 4. & 5.
nempe, verum & cognoscibile converti; dices, in-
quam, etiam falsa cognosci: ergo veritas & cognos-
cibilitas non sunt idem. Resp. etiam falsa habere
veritatem transcendentalem, seu vim terminandi ac-
tum intellectus, sicque præsentantur falsa ut sunt
vera, seu cognoscibilia, & apta ut sint objectum in-
tellectus. Nullum autem falsum, ut falsum, potest
esse objectum actus scientifici: nam ut rectè S. Au-
gustinus l. 15. de Trin. cap. 10. initio, Nemo falsa no-
vit, nisi cum falsa esse novit. Verum est enim quod illa
falsa sint.

V.
Cognoscibi-
litas est di-
plex, extrin-
seca, & in-
trinseca.

VI.
Falsa habent
veritatem
transcenden-
talem.

Falsum ut
falsum no-
quit esse ob-
jectum actus
scientifici.

SECTIO

SECTIO II.

In quo consistat ratio falsi; ubi de bono & malo.

I. **N**ihil falsum, quod non sit ali-quo modo verum.

EX his constat in quo consistat ratio falsi quod opponitur vero, licet à parte rei nihil sit falsum quod in aliquà ratione non sit verum: nam, ut jam diximus, ignis pictus, licet sit falsus ignis, est tamen vera pictura: sicut similiter color apparens, licet sit falsus color, est tamen vera lux, histrio etiam in theatro referens personam Regis dici potest falsus Rex, est tamen verus histrio, licet nonnulli hunc potius velint vocari Regem fictum, quam falsum: & sic de cæteris.

II. **N**ihil est falsum transcendentia, nisi respectu intellectus imperfecti.

Est ergo Falsum id, quod ex eo quod aliquam similitudinem habeat cum ente aliquo vero, est aptum intellectui, non perfecte res cognoscenti, præbere occasionem erroris & deceptionis: ut aurichalcum, color apparens &c. Dixi, intellectus non perfectus res cognoscenti, respectu enim intellectus Divini nihil est hoc modo falsum, cum nihil possit Deo præbere occasionem deceptionis, utpote qui decipi non possit. Videt tamen Deus res aliquas esse ejusmodi, ut occasione erroris & deceptionis præbere possint intellectui creato. Ex quo inferitur, falsum non esse ita proprium prædicatum rerum, atque est prædicatum Veri, cum hoc sit respectu cujuscunque intellectus, etiam perfectissimè cognoscentis, illud verò nequaquam, sed solum secundum quid, & respectu intellectus imperfecti. Licet autem re ipsa tam aurum sit falsum aurichalcum, quam hoc falsum aurum, usus tamen obtinuit, ut denominatio falsi tribuatur imperfectiori.

Falsum transcendentia non tam late patet ac verum.

Quoad attributum Boni, idem est Bonum ac perfectum, seu cui nihil ad esse suum completum deest. Variis modis sumitur: primò essentialiter, & hoc patet, quod nihil omnino est quod non sit Bonum, cum unaquæque res habeat suam essentiam, & sub hac ratione nihil illi deest, essentia quippe omnium sunt indivisibiles. Secundò, dicitur aliquid Bonum substantialiter, quando nimirum nihil illi deest ad completionem substantialem. Sic materia unita formæ, & forma materiæ dicuntur substantialiter perfectæ, & consequenter bonæ. Si tamen vel materia esset sine omni formâ, vel forma separata ab omni materiâ, non forent substantialiter bonæ, & perfectæ. Tertio, dicitur aliquid bonum integraliter, quando scilicet nihil illi deest ad perfectionem integram, ut homo habens omnes partes corporis, calor habens octo gradus intentionis &c. Quarto, accidentaliter, quando nimirum nulla defunt accidentia alicui rei debita. Sic aqua, quando habet frigus ut octo, & humiditatem sibi debitam, dicitur bona, seu perfecta & completa accidentaliter. Alio verò modo sumitur Bonum, ut idem sit ac aptum terminare voluntatem; quo sensu, etiam mala habent suam bonitatem.

Bonum verò simpliciter infinitum est solus Deus, utpote qui habet perfectionem omnem excogitabilem: res verò creatæ sunt in suo quæque genere bonæ, & perfectæ bonitate limitatæ, à summo illo fonte omnis boni, nempe Deo, derivatæ. Mali cognitio facili ex cognitione Boni deducitur; unum enim oppositum per aliud facili cognoscitur: quot enim modis dicitur aliquid Bonum, tot etiam modis ex opposito dicitur Malum, quod idem est ac defectivum, & consistit ut plurimum in negatione.

DISPUTATIO IV.

De rerum possibilitate.

SECTIO PRIMA.

Prænotantur quedam circa conceptum Possibilitatis.

I. **N**otandum primò, Ens & possibile idem esse: Ens enim dicitur quod est aptum existere, seu quod potest esse; hic autem est formalissimus conceptus possibilitatis; illud enim omne est possibile, quod habet aptitudinem, seu non-repugnantiam ut existat à parte rei, modo postea explicando: ergo idem formalissimè est Ens & possibile.

II. **D**ices; Ens rationis est Ens, quod tamen non est possibile, imò est essentialiter quid impossibile, & Chimæra; ergo universim loquendo Ens & possibile non sunt idem. Resp. primò, Ens rationis non esse Ens, nisi admodum improprie, & metaphoricè: unde, ut ostendi d. 40. Logicæ, sect. 4. non datur ratio Entis communis Enti reali & rationis, nec talis conceptus ab iis per intellectum abstrahi potest. Secundo dico, Ens rationis, eo modo quo est Ens, esse possibile, nempe per intellectum, seu rationem, quæ ei dat esse quoddam, & existentiam metaphoricam, ut ostendi d. 15. Logicæ, sect. primâ.

III. **N**otandum secundò, latius patere possibile quam producibile; Deus enim est possibilis, qui tamen non est producibilis. Quod verò Deus sit possibilis constat manifestè: Deus enim Est, ergo potest esse, seu est possibilis; ab actu enim ad potentiam valet consequentia. Verum est quidem, Deum non esse pure possibilem, hoc enim involvit negationem existen-

tia, ut postea dicitur; quod Deo essentialiter repugnat, cum sit Ens necessarium.

Notandum tertio, sicut duplex est cognoscibilitas, visibilitas, amabilitas &c. altera scilicet intrinseca, fundata in ipsis rerum entitatibus, quæ per sua prædicata intrinseca sunt aptæ terminare cognitionem, visionem, amorem &c. ut ostendi d. 2. Logicæ, sect. 2. num. 2. & hic d. præf. sect. 1. num. 5. extrinseca quæ provenit à cognitione, visione, aut amore possibili; ita & duplex est possibilitas, una intrinseca, quæ scilicet fundatur in ipsis intrinsecis prædicatis, ex se aptis ut à parte rei existant, altera extrinseca, quæ tribuitur à causâ possibili habente virtutem ad rem illam producendam. Unde possibilitas omnis creatâ, ut sit completa, seu, ut aliqui loquuntur, proxima, utramque hanc possibilitatem includit. Dixi, possibilitas creatâ, Deus enim solam habet possibilitatem intrinsecam, utpote qui, ut supra adverti, à nullo produci potest.

Notandum quarto, aliud esse, rem aliquam esse possibilem, aliud, esse pure possibilem, seu in statu, ut aiunt, possibilitatis: primum solum dicit rem in conceptu suo objectivo non involvere duo contradictoria, quare intellectus videt nullam esse implicationem, quo minus res illa ponatur à parte rei, & si ponatur, nullam sequuturam implicantiam. Pure autem possibile ita dicit rem posse existere, ut tamen de facto non existat, sicque præter prædicata nullam in se involventia contradictionem, dicit negationem actualis existentia, De quo sect. sequente iterum redibit sermo.

SECTIO II

In quo sita sit ratio possibilitatis.

I.
Status qua-
sitionis.

Diximus sect. præcedente, rem possibilem & dicere prædicata rei intrinseca, & connotare negationem: hic ergo inquirendum quidnam sint prædicata illa intrinseca, quibus negatio illa accedit: quæ, ut rectè explicetur, non parum est difficile.

II.
Senti. pos-
sibilitatem
rerum sta-
tui in esse
diminuto.

Primus rem hanc explicandi modus est eorum, qui dicunt essentias rerum, antequam actu producantur, & existant à parte rei, habere esse quoddam diminutum, ipsis ab intellectu communicatum. Unde aiunt hi auctores, res omnes, etiam ab æterno, huiusmodi esse habuisse, quod vocant esse tantum intelligibile, quod scilicet tunc, apertudinem ad aliud non habebant, nisi merè ad terminandum intellectum. Hanc opinionem multi tribuunt Scoto, sed immeritò, ut latè ostendit Suarez d. 31. Met. sect. 2. Vasqu. & alij. Eam tamen cuiuscumque sit, latè impugnavi disp. 18. Log. §. 4. nec opus est hic quidquam adungere.

III.
Secundà
sententia
rerum esse
quod actua-
le videtur ab
æterno.

Ab hac sententiâ parum distat P. Albertinus To. 2. de Prædic. de substantia, d. 1. quæst. 1. num. 11. Ubi ait, res omnes ab æterno habuisse esse quoddam essentia extra omnipotentiam Dei, ac proinde docet, eas ante creationem in tempore non fuisse purè nihil, sed esse aliquid actuale sibi intrinsecum habuisse, idque non acceptum à Deo efficienter, nec alio modo ab eo dependens, quam in genere causæ exemplaris. Hæc opinio meo iudicio eadem est cum præcedente, & iisdem rationibus impugnatur. Videatur locus in Logica proxime citatus.

IV.
Possibilitas
pura crea-
ture nihil
est actu.

Dico itaque, possibilitatem creaturæ, antequam creatura existat, nihil esse actu, purè enim possibile excludit omnem actualitatem: esse namque purè possibile, ut dixi sect. præcedente, nu. 5. dicit meram possibilitatem, mera autem possibilitas in conceptu suo dicit solum posse esse, seu posse existere; solum autem posse esse seu existere excludit omne actuale esse, & existentiam.

V.
Possibilitas
intrinseca
est quid me-
re conditio-
natum.

Loquendo itaque de possibilitate radicali & intrinseca (extrinseca enim est virtus & potentia in Deo rerum productiva) hæc nihil planè actu fuit ab æterno, sed solum quid conditionatum, nempe quod prædicata illa si existerent, non involverent contradictionem: Unde Deus vel Angelus rem talia in se prædicata habentem representans, diceret nihil obstare quo minus poni res illa possit à parte rei: quod non diceret de Chimærâ, imò diceret contrarium, ergo inter prædicata rei alicujus possibilis, Anti-Christi ex. g. & Chimæræ in esse objectivo est intrinseca & essentialis differentia.

VI.

Dices primò; saltem hoc esse objectivum mundi

& rerum possibilem erat ab æterno; Deus enim tunc res omnes posibles cognovit, ergo tunc habebant hoc esse objectivum. Contrà, Deus non minùs novit impossibilia ab æterno, quàm possibilia; ergo etiam hinc sequitur res impossibiles habuisse aliquid esse actuale ab æterno. Resp. itaque, nullum esse objectivum intrinsecum rerum vel possibilem vel impossibilem fuisse ab æterno, sed intellectum ferri posse in res quæ nullum omnino habent esse, sed sicut nullis clauditur circumstantiis loci, resque maximè distantes, imò quæ nullo loco sunt, intelligit, ita nullis etiam clauditur circumstantiis temporis, sed res quæ nulli omnino tempori correspondent, potest intelligere.

Solum ergo ab æterno habent res esse cognitæ extrinsecè, seu objectas menti Divinæ, non esse aliquod objectivum intrinsecum. Conf. jam intelligimus præterita & futura, etiam quæ talia, licet nulla jam præteritio eorum, aut futuritio sit actus, ergo & potuit Deus res posibles cognoscere ab æterno, licet nihil eorum fuerit actu ab æterno.

Dices secundò; res ab æterno erant posibles, ergo possibilitas earum actu erat ab æterno. Contrà primò, Chimæra etiam ab æterno erat impossibilis, ergo illius impossibilitas erat actu ab æterno. Contrà secundò, crastinus dies jam est futurus, hesternus præteritus, ergo jam est actu aliqua illorum præteritio & futuritio.

Resp. itaque, Verbum est non significare semper pro tempore quod per illud importatur, ut in his & similibus constat, Petrus est mortuus, domus est combusta, Anti-Christus est futurus, &c. in quibus, ut in Introduct. dixi, d. 3. sect. 3. numer. 4. est Alienatio, vel Distractio, ut loquuntur Dialectici. Imò est implicatio in terminis dicere, Ante-Christus ab æterno est purè possibilis, si terminus est sumatur propriè; hæc enim particula importat actualitatem & existentiam, pura autem possibilitas existentiam omnem, & actualitatem essentialiter excludit, & perinde est ac si quis diceret, solum potest esse, & tamen est. Sensus ergo huius propositionis, Anti-Christus est possibilis, est, in prædicatis Anti-Christi nulla involvitur repugnantia quominus existant; vel, si Anti-Christus existeret, nulla sequeretur implicatio, aut contradictio.

Dices tertio; res possibilis erat ab æterno Ens, ergo aliquam habebat actualitatem ab æterno. Resp. negando antecedens, ens enim & possibile sunt omnino idem, ut dixi sect. præcedente, nu. primo. Quo sensu autem Anti-Christus est ens, & similes sint propositiones æterna veritatis, dicitur, disp. sequente, sect. secundâ, num. quarto & sexto. Plura hac de re dicuntur disp. sequente, dum de distinctione essentia & existentia: quæstio enim illa magnam habet cum hac affinitatem.

Possibilia
nullum esse
objectivum
habuerunt
ab æterno,
magis quàm
impossibilia.

VII.

Res ab æter-
no non solum
habuerunt
esse à Deo
cognitas.

VIII.

Obiit, res ab
æterno erant
possibiles, ergo
earum
possibilitas
erat ab æ-
terno.

IX.

Resp. ostend-
endo ver-
bum est
varie sumi.Quid sit
sensus huius
propositionis
propositio
Anti-Christus
possibilis.

X.

Falsa est hæc
propositio
Res possi-
bilis erat
ab æterno
ens.

DISPUTATIO V.

De Essentiâ & Existentiâ.

SECTIO PRIMA.

Virum essentia realiter distinguatur ab
existentiâ.I.
Essentiam
Dei ab ejus
existentiâ
non distingui

In primis ab omnibus tanquam indubitatum hac in re supponitur, existentiam Dei non distingui ab illius essentiâ, cum Deus essentialiter petat esse seu existere actu, nec omnino non esse possit, nul-

laque in eo reperire queat compositio. Quæstio ergo procedit de solis rebus creatis. certum est.

Secundò notandum, id per quos res creata existit, & ponitur extra causas causaliter, esse actionem quâ producitur, ut sæpe diximus: id verò per quod existit & ponitur extra causas formaliter, est ipsa existentia exercita, per quam fit Ens actu. Tribuendo ergo singula singulis, existit res quævis, ut declaramus in libris de Generat. d. 3. dum de conversione causaliter per actionem, hic per ubicationem, nunc

II.

Res omnis
creata exi-
sit causaliter
per actionem,
formaliter
per ubicationem.

per

per durationem, formaliter verò existit, & ponitur à parte rei per suammet entitatem, seu existentiam. Quæstio ergo præfens est, utrum hæc existentia, per quam res quavis formaliter existit, distinguatur realiter ab illius essentia.

III. Prima sententia affirmat essentiam realiter distinguui ab existentia Ita Cajet. i. p. q. 3. a. 4. & de ente & essentia, Capreol. in i. d. 8. q. 1. a. 1. Ferr. l. 2. Côt. Gê. cap. 52. Soncin. 4. Met. q. 12. Bannez. i. p. q. 3. a. 4. Molina i. p. q. 3. a. 4. d. 2. Albertin. de Prædic. substan. d. 2. q. 1. Idem tenere videtur P. Fonseca To. i. Met. l. 4. c. 2. q. 4. s. 1. quamvis eum nonnulli explicant de distinctione tantum rationis. Citari etiam solet S. Thomas varijs locis, ut i. p. q. 3. a. 4. item l. 2. con. Gent. c. 52. & 53. & 4. Met. lec. 2. & alibi, sed facile explicari potest de distinctione tantum rationis.

IV. Secunda sententia è contrario docet, essentiam realiter ab existentia non distinguui. Ita Halensis 7. Met. ad tex. 22. Gab. in 3. d. 6. ubi etiam alij Nominales, Aureol. apud Capreol. in i. d. 8. q. 1. Greg. in 2. d. 6. q. 1. citatur etiam Scotus cum suis. Idem tenet Suarez d. 31. Met. s. 2. Valentia l. p. d. i. q. 3. p. 4. s. ultimo, Pererius 6. Physic. 4. Alarcon. l. p. tr. 6. d. 1. c. 2. n. 4. Rubius i. Phys. tr. i. q. 4. Murcia l. i. Phys. d. 5. q. 4. s. Hinc primo, Hurt. hic, d. 8. f. 4. n. 38. Ariag. hic d. 2. f. 3. n. 52. Oviedo hic Côt. 2. p. 2. & plurimi ex recent.

V. Conclusio: Essentia non distinguuitur ab existentia, sed est eadem omnino res cum illa, realiter ab illa indistincta, imò nec modaliter distinguuitur existentia ab essentia. Ita auctores secundæ sententiæ. Probat per primò: siquid namque urgeat ad statuendum distinctionem inter essentiam & existentiam, maxime est, quod essentia nunc transeat de non esse actu ad esse actu, & consequenter habere necessariò debeat formam aliquam, per quam transeat, sed hæc ratio non urget, ergo. Probat minor, ipsa existentia antea possibilis transit de non esse ad esse sine aliquo distincto, alioqui dabitur processus in infinitum, ergo eodem modo transire poterit essentia.

VI. Dices: latam esse disparitatem inter existentiam & essentiam, existentia enim, cum sit ipsa ratio, per quam res existit, non potest existere per aliam existentiam: sicut secundum nos actio non producitur per aliam actionem, quia est ipsa ratio formalis agendi, nec ubicatio est in loco per aliam ubicationem. Sed contra aperte, si ubicatio possit esse, & non esse in hoc loco, seu si esset indifferens ad varia loca, non solum posset, sed etiam deberet affigi huic loco in particulari per aliam ubicationem; cum enim non esset sua determinatio, deberet necessariò aliunde determinari: sed existentia Anti-Christi v. g. non necessariò existit, sed est quid mere possibile, & indifferens ad existendum vel non existendum, ergo existentia non minus indigebit formâ aliquâ per quam transeat de non esse seu existere, ad esse, quam ipsa essentia; cum ideo secundum contrariæ sententiæ auctores egeat huiusmodi formâ essentia, quia est quid mere possibile. Quod verò existentia rerum sint possibles, videtur fide certum, nam ab æterno nulla erat existentia creata actu, ergo omnes erant possibles.

VII. Secundò sic idem probò: quando Petrus existit, vel sunt in illo duo entia actu & simpliciter, realiter distincta, nempe essentia & existentia, vel non: si non, ergo essentia & existentia non distinguuntur, quod contendimus, si ita, ergo essentia habet suam existentiam secum identificatam, per quam redditur ens actu, prout distinguuitur ab alterâ existentia, cum nihil esse possit ens per aliquid à se realiter distinctum, præsertim per modum formæ illud efficientis, cum omnis forma supponat subiectum aptum illam recipere, nullum autem subiectum est aptum recipere

formam nisi pro illo priori subiectum illud existat.

VIII. Probatur terriò: per illud existit res aliqua formaliter, per quod ponitur formaliter extra causas, sed essentia Petri ponitur formaliter extra causas per ipsammet suam entitatem, ergo. Major est certa, & ab omnibus admittitur: minor probatur, per id formaliter & adequatè ponitur aliquid extra causas, per quod formaliter tollit negationem sui, sed essentia Petri per suammet entitatem tollit negationem sui, ergo. Major est clara, nam per negationem est non ens, & non extra causas formaliter, ergo per id per quod adequatè tollit negationem sui, ponitur formaliter extra causas, & transit de non esse, seu non ente actu ad esse seu Ens actu, sed per suam entitatè solam tollit essentia negationem sui, quod patet, nã tollitur negatio per contradictorium illius negationis, sed sola essentia est contradictorium negationis essentia, ergo per solam essentiam tollit res illam negationem, ergo per solam essentiam ponitur res extra causas, ergo per solam essentiam existit, ergo essentia non distinguuitur à suâ existentia.

IX. Quando non ad existentiam tantum, sed etiam ad essentiam terminatur actio productiva, quando res aliqua ponitur à parte rei, ergo res existit per ipsam essentiam: quod probatur, ideo enim ad illam terminatur actio immediatè, ut ponat eam extra causas, & reddat eam de non ente actu ens actu, ergo essentia per se est jam formaliter ens actu, & consequenter per se existit: alioqui non est cur ad eam terminaretur actio immediatè, sed sufficeret terminari eam ad solam existentiam, cum rem produci, sit produci illius existentiam. Quod verò ipsa essentia in se immediatè producat, videtur manifestum, cum non sit ens à se, sed verè & propriè creatura, & consequenter producta per veram & propriam actionem, ad ipsam determinatam.

X. Conf. produci rem, est produci illius existentiam, sed actio productiva terminatur ad ipsam essentiam, ergo illa est etiam existentia. Conf. secundò, non potest aliquid physicum terminari ad aliquod possibile pure possibile, sicut potest quid intentionale, ut actus intellectus & voluntatis, sed actio physica terminatur ad ipsam essentiam, quæ etiam verè & physice producitur & ponitur à parte rei per actionem immediatè ad se terminatam, idque pro aliquo priori ad existentiam, cum communiter dicant adversarij existentiam educi ex potentia essentia, ergo essentia pro aliquo priori ad existentiam existit, & ponitur à parte rei, cum pro illo priori sit apta exercere operationem aliquam physicam, nempe influere materialiter in existentiam. Cum ergo essentia ponatur extra causas per actionem ad ipsam terminatam, & constituatur à partem rei, si non terminaretur actio ad quidquam aliud, existeret tamen essentia; quid enim aliud est existere, quam poni extra causas: poni autem extra causas est causam exercere vim suam circa rem illam, quod facit per hanc actionem, quæ est exercitium virtutis causæ.

XI. Quintò: quia eodem fundamento quo adversarij distinguunt essentiam ab existentia, distinguui etiam posset essentia existentia ab ipsâ existentia: manifestum enim est ipsam existentiam habere aliquam essentiam, seu cõceptum essentialem, sibi propriam, & nulli alteri competentem. Imò non minus, in hac sententiâ distinguui realiter posset ab omnibus suis prædicatis essentialibus & intrinsecis, quàm essentia ab existentia; non minus quippe est hæc propositio æternæ veritatis, *existentia Anti-Christi est ens, substantia, corporea, incompleta*, &c. quam hæc, *essentia Anti-Christi est ens, substantia*, &c. ergo non minus distinguetur realiter existentia Anti-Christi à suâ essentia, imò à prædicatis intrinsecis & essentialibus, ente, substantia.

Resp: cum essentia non minus sit indifferens ad existendum, quam essentia, non minus eget determinativo.

Si essentia distinguatur ab existentia, in quavis re existente sunt duo entia actus.

essentia cum ipsa rei ponitur extra causas formaliter per seipsum, ergo existit formaliter per seipsum.

Quando res ponitur à parte rei, terminatur actio immediatè existentiam, ergo existit per se.

Essentia, ut distincta ab alia existentia debet existere, cum iuxta ad-versarios, sit subiectum existentia.

Ob idem argumentum, ob quod ipsi distinguunt essentiam Petri ab eius existentia, possent essentiam existentiam distinguere ab ipsâ existentia.

substantia &c. quam existentia Anti-Christi ab illius essentia. Hanc existimo esse unam ex urgentissimis rationibus contra sententiam distinguentem essentiam ab existentia.

XII.
Di cuius quidam posse essentiam manere extra causas sine existentia.

Longè autem minus probabile est, quod dicunt aliqui, posse scilicet essentiam manere extra causas separatam ab omni existentia. Contra quod est, nam quid est aliud rem existere, quam esse formaliter extra causas, seu à parte rei extra nihil, esseque ens actu extractum ex statu pæ possibilitatis? Si ergo hoc habeat essentia ista; quid ei deest ad existentiam? imò quid opus alià existentia, cum secundum omnes, effectus formalis existentia sit ponere rem extra causas? Dicere autem alium esse ejus effectum formalem, est eudere novam existentia rationem, & philosophari pro libito: imò in re idem affirmare cum omnibus, voce dissentire.

SECTIO II.

Solvuntur argumenta contententia existentiam distinguere ab essentia.

I.
Quidquid hic adducitur, solvi debet in essentia & existentia ipsius existentia.

Hic, antequam proponamus argumenta, quæ innumera à contrariis sententiarum auctoribus congeruntur ad probandum essentiam & existentiam inter se realiter distinguere, operæ pretium erit advertere quod circa finem sectionis præcedentis insinuavimus, nempe ipsam etiam existentiam habere suam essentiam & prædicata intrinseca: quod si accuratè notetur, semperque habeatur præ oculis, facile repellentur omnia, quæ opponunt adversarij, cum in hac instantia de essentia & existentia ipsius existentia, solvere ipsi debeant sua argumenta, ut sectionis decursu constabit.

II.
Obij. solum Deum esse suum esse, seu suam existentiam.

Obijciunt ergo paimò: Deum dici suum esse, ut constat ex illo loco Scripture, ubi dicitur *Ego sum qui sum*, creatura autem non est suum esse, seu existere, tunc enim esset ipsi essentiale existere, quod tamen est falsum. Contra: ergo essentia existentia non est suum esse, seu existere, hic enim esset ipsi essentiale existere. En idem planè argumentum: quidquid ergo dixerint, dicemus & nos de essentia & existentia cuiusque creaturæ. Resp. itaque pro utraque sententia, non in hoc differre Deum à creaturâ quod existentia Dei identificetur cum illius essentia, non tamen existentia creaturæ, sed *Deus est suum esse*, id est, necessariò existit, seu est ens omninò necessarium, nec deficere potest, & amittere esse, sicut potest creatura, imò necessariò semper est, quod nulli creaturæ competit, cum omnes ex libera Dei voluntate sint productæ in tempore, ut est fide certum: existere autem est Deo essentiale.

III.
Patres dum asserunt, non posse illud non esse quod est ipsum esse, intelligentes scilicet Deum, non agunt utrum existentia Dei distinguatur necnè ab illius essentia; sed per esse ipsum esse cum volunt ita esse, ut non possit non esse, seu ut concipi non possit quin concipiatur actu existens, quod ita est esse, ut sit ipsum esse, seu quasi antonomastice esse, sicut subinde dici solet, ut notavimus in Logica d. I. f. solum Deum esse; seu esse ens, creaturas verò comparatas Deo non esse entia: quæ tamen locutiones non sunt in rigore metaphysico accipiendæ, sed sensus est, esse Dei tantum aliarum rerum existentiam excedere dignitate, ut res omnes aliæ ipsi comparatæ, sint quasi non essent, seu instar nihili. Quemadmodum etiam dicitur subinde *Deus solus bonus*. Deinde, notandum, non asserere Patres idè Deum non posse non esse, quia est suum esse, sed quia est ipsum esse, id est, esse per essentiam, seu cuius essentia est actu esse & existere, quod nulli creaturæ competit.

IX.
Deus est suum esse quia essentia eius est actu existere.

Obijciens secundò: essentia convenit rebus independentes à causis secundis, existentia verò nequaquam, ergo distinguuntur. Antecedens probatur, hæc enim propositiones *homo est animal rationale, equus est ens, substantia &c.* sunt propositiones æternæ veritatis, & veræ, ut ajunt, ab æterno, ergo erat aliquid ab æterno ratione cuius erant veræ. Contra; hæc etiam propositio est æternæ veritatis, *existentia est ens, est creatura, est incompleta substantia, corporea, spiritualis &c.* imò hæc, *existentia est apta reddere rem existentem*, ergo essentia seu conceptus essentialis existentia, imò ens ipsius, substantia, & ceteri ipsius conceptus debent ab eâ realiter distinguere secundum hunc modum argumentandi, cum esse eodem modo debuerint ab æterno, ad propositiones illas verificandas, existentia autem solum est in tempore. Resp. ergo negando essentiam competere rebus creatis independentes à causâ secundâ, quando res à causis secundis & non à Deo solo producuntur: tam enim essentia est creatura, seu quid creatum & ens ab alio, non à se, quam existentia: ergo tam producit, idque ab eadem causâ, à quâ producit illa.

Deinde juxta Aristotelem & omnes, corruptis primis substantijs, corrumpuntur secunda, seu prædicata essentialia; & verè pereunt, sicque perit & destruitur totus Petrus, nempe ens, substantia, vivens, animal, rationale, &c. & hoc sensu intelligitur id quod alio loco dicit Aristoteles, *destruuntur nobis, destruntur ea quæ sunt in nobis*: Dicuntur verò hæc & similes propositiones æternæ veritatis, vel quod quodocunque existit homo, debet esse animal rationale, vel quod quando homo mente concipitur, necessariò formetur conceptus animalis rationalis, non autem conceptus albedinis, nigredinis, caloris, frigoris &c. Quare hæc non est propositio æternæ veritatis, *homo est albus, niger, &c.* sic tamen hæc, *homo est animal rationale*. Imò æquè contingenter convenit rebus essentia ac existentia, nec prius habent essentia quam sint, neque est homo propriè id, quod omninò non est, prius enim est esse quam hominem esse.

Obijciens tertio: separabilitas realis est signum distinctionis realis; sed existentia realiter separatur ab essentia quando res perit, destruitur enim illius existentia, manet essentia, ergo. Contra, ergo essentia existentia distinguuntur realiter ab ipsâ existentia, imò & prædicata illius intrinseca, ut ens, substantia, incompletio &c. ab eadem existentia distinguuntur, ut ostensum est n. quarto. Resp. ergo, concessa majori, negando minorem: ad probationem dico perentente existentia perire etiam essentiam, ut in objectione præcedente dictum est, nec alio modo tunc *homo est animal*, nisi in sensu conditionato, & hac ratione propositiones istæ sunt æternæ veritatis.

Urgebis: ergo & hæc propositio, *homo existit*, erit æternæ veritatis, cum in sensu conditionato sit necessaria: quodocunque enim existit, habet necessariò existentiam. Resp. cum P. Suarez d. 31. Metaphysica. 12. n. 47. sine, si hæc propositio sumatur in sensu conditionato, ita ut faciat hunc sensum, *si est homo, existit*, esse etiam propositionem æternæ veritatis; nec enim quidquam esset homo ab æterno, nisi ab æterno esset, & existeret. Simpliciter tamen est neganda hæc propositio, & censenda falsa, cæto enim aliquem verum sensum facere possit, quia tamen juxta communem usum acceptionem omnium, facit sensum absolutum, non conditionatum, idè simpliciter censetur falsa.

Obijciens quartò: esse creatum, est esse receptum, ergo existentia recipi debet in essentia. Conf. esse creatum est esse limitatum, ergo existere in aliquo subiecto debet, à quo illi proveniat limitatio. Conf. secundò, essentia & existentia comparantur sicut actus

IV.
Ex eo quod Homo est animal rationale, non sequitur existentiam esse ab æterno.

V.
Destructio nobis, destruntur ea quæ sunt in nobis.

VI.
Quare illæ propositiones sunt æternæ veritatis.

VI.
Destructio existentia destruitur essentia.

VII.
Homo existit, si propositio æternæ veritatis.

IV.
Destructio existentia destruitur essentia.

VII.
Obij. existentia recipitur in essentia, ergo ab ea distinguitur.

Aut & potentia, ergo existentia debet recipi in essentia. Hæc omnia retorquentur in essentia, & prædicatis intrinsicis ipsius existentia.

IX. Ad objectionem ergo resp. distinguendo antecedens, esse creatum est esse receptum ab aliquo, concedo antecedens; receptum in aliquo, nego: nec enim Angelus & materia prima sunt in aliquo: quævis tamen res creata, cum sit ens per participationem, recipit necessariò suum esse à Deo, sicque est recepta ab aliquo. Ad primam confirmationem dico, ens creatum esse limitatum ex se, quod dicere ipsi debent de essentia. Ad secundam confirmationem. Resp. comparari ad invicem essentiam & existentiam tanquam actum & potentiam Logicam, non Physicam; potentia autem Logica non distinguitur ab actu, sed est ipsa res possibilis, quæ jam existit & ponitur extra causas.

X. Obij. scientia simplicis intelligentiæ in Deo distinguuntur, idque ratione objecti, ergo quia scientia simplicis intelligentiæ terminatur ad solam essentiam, scientia verò visionis ad existentiam, ergo essentia & existentia distinguuntur realiter. Retorquetur argumentum in essentia & existentia ipsius existentia: eodem enim modo videt Deus per scientiam simplicis intelligentiæ existentiam esse possibilem, atque essentiam, ergo essentia seu prædicata essentialia, & intrinseca existentia distinguuntur ab illa realiter.

XI. Resp. ergo, has duas cognitiones non distingui ex objectis, sed habere idem omnino objectum, quid enim cognoscit scientia simplicis intelligentiæ ut potens existere, cognoscit scientia visionis ut existens; unde existentia etiam ingreditur objectum simplicis intelligentiæ. Imò per scientiam visionis non videtur sola existentia, sed etiam essentia, ergo essentia debet esse sua existentia, alioqui non posset esse objectum scientiæ visionis. Differunt ergo hæc duæ scientiæ solum ex parte modi cognoscendi: sicut enim in nobis dari possunt diversæ representationes speciei distinctæ ex modo diverso tendendi, licet objectum sit omnino idem, ut apprehensio & iudicium, ita similiter & in Deo. Unde scientia simplicis intelligentiæ est instar apprehensionis, aliquo saltem modo, per quam repræsentat Deus illa prædicata, nihil absolute de ijs affirmando, vel negando, sic tamen per scientiam visionis.

XII. Dices, non solum concipit seu apprehendit Deus per scientiam simplicis intelligentiæ hominem esse animal rationale, sed iudicat, ergo non differunt hæc duæ scientiæ ex modo tendendi, & consequenter

distingui debent penes objecta. Distinguo antecedens, iudicat Deus id absolute, nego antecedens; iudicat conditionate, concedo: hoc autem iudicium est quasi quædam apprehensio. Objectum ergo scientiæ simplicis intelligentiæ est conditionatum, & actus quo Deus dicit, homo est animal rationale, facit hunc sensum, homo, si sit, seu quandoque existit, est animal rationale: scientia autem visionis fertur absolute in idem objectum, & dicit hominem absolute esse, seu existere animal rationale, quia videt illum pro sua differentiâ temporis existentem.

Obij. textò: non posse quidquam concipi sub suo contradictorio, seu sub contradictorio illius quicum identificatur, non potest ex gr. concipi equus cum negatione hinnibilis: sed potest concipi essentia creata sine existentia, seu cum negatione, & contradictorio existentia, ergo essentia & existentia non sunt idem. Resp. si res aliqua concipiatur habens suam entitatem & essentiam, non posse eam concipi sine existentia, cum habere essentiam actu sit actu existere; si verò concipiatur non habens existentiam, sed sub negatione illius, concipitur etiam sub negatione essentia: res enim quæ non habet existentiam, non habet essentiam, ut supra dictum est.

Si autem concipiatur essentia ut possibilis, necessariò concipitur etiam existentia, non quidem ut exercita, sed ut possibilis, sicut nec etiam tunc concipitur essentia ut exercita, nunquam enim est exercita essentia quin etiam exercita sit existentia; essentiam enim esse possibilem, est eam posse existere, esse autem exercitam est existere, ac proinde in ipso conceptu essentia possibilis involvitur existentia etiam possibilis, sicque videtur probabile non posse essentiam & existentiam distingui, ne ratione quidem, saltem tanquam duos conceptus objectivos distinctos.

Obij. septimò commune illud dictum Philosophorum: *Essentia rerum sunt ingenerabiles & incorruptibiles*; ergo distinguuntur ab existentibus, hæc enim in dies generantur & corrumpuntur. Resp. tam essentias rerum generari & corrumpi, quam existentias, si physicè & realiter loquamur. Sensus autem illius dicti est, essentias esse ingenerabiles & incorruptibiles in esse possibili, quantumvis enim hic & nunc destruat homo, equus, ignis &c. nullus tamen efficere potest ut non sint possibiles. Sic etiam quod est possibile, est essentialiter possibile, & quod non est possibile, non potest per ullam potentiam fieri possibile, quo sensu res omnes in esse possibili sunt improducibiles.

Objecti iudicat solum conditionate.

XIII. Obij. nihil concipi posse sub suo contradictorio.

Resp. quando res concipitur sub negatione essentia, concipitur etiam sub negatione existentia.

XII. Essentia possibilis est existentia possibilis, & contra.

XV. Obij. Essentia rerum sunt ingenerabiles, & incorruptibiles.

Resp. in esse possibili tam Essentias quam existentias esse ingenerabiles, & incorruptibiles, neutras verò in esse actuali.

DISPUTATIO VI.

De Categorijs, seu Prædicamentis.

SECTIO PRIMA.

De naturâ & numero Prædicamentorum.

I. Substantia in totâ serie rerum est ex genere suo ens perfectissimum; accedens verò ex naturâ suâ ad perfectionem substantiæ ordinatum: qua de causâ appellatur ens ens. Sicut ergo ex diverso modo quo aliqua Metaphysicè prædicantur, deducitur distinctio Prædicabilium, ut in Logica vidimus, ita ex diverso modo, quo accidentia physice & realiter afficiunt substantiam, diversam illi denominationem accidentalem tribuendo, ut esse qualem, quantum, relativum &c. non incongruè deduci

potest distinctio prædicamentorum accidentis.

De Prædicamentis tractari solet plerumque in Logica, proprius tamen illorum locus est Metaphysica, ad quam Entis consideratio, ut supra vidimus, peculiariter pertinet: nec ab Aristotele ideò tradita sunt in Logica, quòd ad Logicam spectarent, sed ut, cum Logicus agat de arte syllogistica, & modo argumentandi, in promptu haberet in quo argumentationes suas ac syllogismos conficeret. Ex acta verò eorum discussio spectat ad Metaphysicam.

Et verò Prædicamentum series, seu coordinatio Prædicatorum à supremo genere ad ipsa individua per genera & species intermedias, suntque prædicamenta classes quædam & capita, ad quæ cetera omnia reducuntur, & in

II. Tractatus de Prædicamentis spectat ad Metaphysicam.

III. Quod sit Prædicamentum.

& in ordinem certum rediguntur, eo potissimum nomine, ut diximus, inventa, ut in promptu haberentur prædicata ad definitiones conficiendas accommodata.

IV.

In Prædicamentis quædam ponuntur per se, quædam reduciuntur.

In Prædicamentis, præsertim substantiæ, aliqua ponuntur per se, nempe entia omnia physice completa, siue sint composita ut homo, leo, cæli &c. siue simplicia, ut Angeli: alia ponuntur reductivè, res nimirum omnes incompletæ: ut materia prima, forma, unio, inherentiæ, substantiæ, & huiusmodi, quæ idèolum ponuntur in Prædicamento, quia ad aliorum, quæ per se in Prædicamento ponuntur, complementum spectant.

V.

Enumeratio Prædicamentorum magna inter auctores dissensio.

Circa numerum Prædicamentorum, antiqui in varias abiere sententias, ut videre est apud S. Thomam 5. Met. lib. 9. & 3. Phys. tex. 56. Suarez d. 39 Met. & alios. Plato igitur, ut refert Aristoteles 3. Met. c. 3. unum solum prædicamentum statuit, Zenocrates & Andronicus duo, substantiæ & accidentis: alij quatuor, alij quinque, & sic deinceps: Pythagoras verò viginti, Architas demum Tarentinus res omnes ad decem genera, seu capita reduxit: cui divisioni tanta, ut ait Scotus, Aristoteli præsertim approbante, accessit auctoritas, ut refragari sit nefas, receptaque ita hodie est hæc divisio, & numerus prædicamentorum, ut P. Suarez disp. illa 39. sec. 2. n. 12. vocet *dogma Philosophicum*, quodque velut temerarium in Philosophia existimetur in dubium vocare. Aliqui tamen divisionem hanc carcerem vocant ingenio: ù.

VI.

Ratio denarii huius numeri Prædicamentorum dissimulatur.

Quam autem recepta est hæc divisio, tam illius rationem reddere est difficile: quare idem Suarez, postquam varias ab alijs assignatas, ut insufficientes rejecisset, tandem n. 17. ejusdem disputationis concludit cum Avicenna non posse ratione propria, & à priori ostendi tot esse suprema rerum genera, & non plura, huncque numerum supponit potius Aristoteles quam probat. Conjecturam autem hanc affert P. Suarez, quia non innotescunt alia genera entium, quam quæ sub his generibus comprehenduntur, licet hoc divisionem istam, nec immerito, non convincere existimet. Id verò notandum, *Ens* non constituere ullum per se prædicamentum, quia omnia transcendit.

SECTIO II.

Quid requiratur ut aliquid ponatur in Prædicamento. Vbi, quid de Deo hac in re sentiendum.

I. Prædicamenta ergo sunt decem, & hoc ordine à Philosophis communiter enumerantur. Sub-

DISPUTATIO VII.

De Prædicamento Substantiæ.

SECTIO PRIMA.

Prænotantur quædam circa notionem substantiæ.

I.

Variis modis sumitur substantia.

Substantia, ut ait Aristoteles in Prædicamentis, variè sumitur: nunc enim idem sonat ac essentia cuiusque rei, quod essentia substat prædicationibus: sic dicimus, substantia huius qualitatis est talis. id est, entitas illius vel essentia; quæ tamen acceptio non est adeò propria. Aliquando sumitur pro omni eo quod non est accidens, sub quâ

stantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Passio, Ubi, Quando, Situs, Habitus. De singulis sigillatim aliquid dicendum.

Ut aliquid ponatur in Prædicamento, debet esse ens verum & reale. Ens enim reale & positivum est, quod hic ab Aristotele dividitur in decem Prædicamenta: unde excluduntur à Prædicamentis negationes, privationes, & entia rationis; licet hæc ut in Logica diximus, in sua etiam Prædicamenta distribui similiter possint. Deinde, debet esse quid univocum; nam si analogum fuerit attributionis, est aggregatum quoddam ex rebus diversorum Prædicamentorum, sicque confusionem potius pariet in definiendo, quam claritatem & facilitatem, ad quem tamen præcipue finem adinventum sunt prædicamenta: si verò sit analogum conceptus communis, excluditur quia non potest esse genus aut species, nec componere Metaphysicè, & constituere definitionem, ad quod tamen munus, ut diximus, præcipue ordinantur Prædicamenta.

Difficultas est, utrum Deus ponatur in Prædicamento. Affirmant aliqui: alij ut P. Hurt. asserunt potuisse poni, si ita visum fuisset Philosophis: alij demum omnino negant, in assignandâ tamen repugnantia haud parum laborant. Aliquid id negant ob Dei simplicitatem, quæ tanta est, inquit, ut nec compositionem Metaphysicam, seu per intellectum admittat.

Verosimillima huius rei ratio videtur esse, quia si in ullo ponatur, poni debet in Prædicamento substantiæ, sed non ponitur in Prædicamento substantiæ, substantia enim, ut hic sumitur, est quod primò aptum est substat accidentibus, quibus manifestum est Deum substat non posse. Quo titulo S. Augustinus l. de cognitione veræ vitæ c. 2. Deum è Prædicamento excludit. Unde, Prædicamentum substantiæ, ut hic sumitur, tantum est ratio substantiæ create.

Tandem notandum, licet Relatio & Ubi constituent diversum Prædicamentum, non tamen substantiæ & inherentiæ. Ratio disparitatis est, quia Relatio & Ubi sunt quid completum in suo genere; inherentiæ verò & substantiæ sunt complementum intrinsecum, hæc substantiæ, illa accidentis: accidens enim, cum sit entis ens, peculiari modo petit inherentiæ, ut intrinsecum sui complementum; substantia verò, cum sit ens per se, petit similiter substantiam tanquam aliquid per quod ultimò in ratione substantiæ perficiatur. Quod etiam verum est de unione, item in quibusdam substantiis.

acceptio comprehenditur forma substantialis, unio, substantia, &c. Nonnunquam verò capitur pro substantiis tantum completis, quæ directè ponuntur in hoc Prædicamento. Subinde etiam pro ijs solum substantiis sumitur, quæ per se existunt, quo sensu Aristoteles 7. Met. c. 13. negat genera & species substantiarum, quæ dicuntur secundæ substantiæ, esse substantias, quia nimirum existunt in primis, seu individuis: quâ de causâ Aristoteles hic vocat primas substantias, seu individua, maxime substantias.

Substantia ergo, ut hic sumitur, dicitur à substantia, in quo conceptu duo includuntur, nempe stare, & sub

II.

Substantia
hic duo di-
cit, hæc,
& sub alijs
stat.

& sub alijs stare, scilicet accidentibus, illa nimirum sustentando: per quod ultimum excluditur, ut diximus disp. præcedente, sect. 2. n. 4. substantia increata, seu Deus à ratione substantiæ hoc modo sumptæ; Deus enim non substantat, nec substantare potest accidentibus: nec etiam potest propriè dici essentia Divina substantare Attributis, nam substantare propriè loquendo supponit realem distinctionem, substantare enim & sustentari propriè nil potest, nisi realiter distinctum.

III.
Cur quan-
titas non
sit substan-
tia hoc mo-
do sumpta.

Dices; etiam quantitas substantat accidentibus, ergo erit substantia. Nego antecedens: quod enim non stat, seu quod non existit per se, non potest substantare, seu existere per se sub alio: quantitas ergo, licet sit sub calore, colore, & ceteris qualitatibus materialibus, non tamen substantat illis, sed inhæret materiæ, sicque dicitur ad summam substantare illis secundum quid, & secundariò, quia primariò & simpliciter substantat illis substantia, quæ substantat quantitativè. Deinde, ut dixi d. 15. Phys. c. 2. nu. 8. non recipiuntur accidentia omninò in quantitate.

IV.
Substantia
dupliciter
dicitur
subjectum,
in quo, &
de quo.

Dupliciter autem dici potest substantia sustentaculum, seu subjectum vel propriè, & respectu accidentium, & vocatur subjectum in quo, seu inhærentis, vel minùs propriè respectu secundarum substantiarum, generum, specierum &c. & dicitur subjectum de quo, seu prædicationis. Unde hoc discrimen statuit Aristoteles inter secundas substantias & accidentia, quòd illæ solum dicantur de subjecto, seu de eo prædicentur, non propriè insint, vel inhæreant, hæc autem verè inhærent.

V.
Quæ sit
propriissima
notio sub-
stantiæ.

Substantia autem propriissimè sumpta est *Ens per se*, hoc est quidditativus rei conceptus, quo ablato res perit, & quo manente, quantumcunque cætera pereant, manent tamen eadem res. Unde ait Aristoteles, citatus maximè proprium esse substantiæ, ut una numero permanens susceptiva sit contrariarum. Sic in lapide, licet modò frigidus sit, modò calidus, jam quiescat, jam moveatur, & sic de alijs quibuscunque rebus, adhuc non est aliud quàm erat, si maneat eadem substantia, seu illa entitas quæ substantat variis hisce mutationibus accidentium. Quidquid ergo ponitur vel tollitur ita ut ad ejus positionem dicatur simpliciter alia res, illud est substantia, de quo latius sect. sequente.

VI.
Divisio sub-
stantiæ in
primam, seu
individua,
& secundam,
nempe ge-
nera &
species.

Dividit hic Aristoteles substantiam in primam & secundam, primam vocat individua quòd omnibus substantat, secundam appellat genera & species, quæ dicuntur de primis, quæ de causâ ait ea significare quale quid. Dici autem de primis est, secundum ipsum essentialiter de his prædicari. Qui plura de hac substantiæ divisione cupit, adeat P. Vallium, qui totam questionem tertiam de Prædicamento substantiæ de ea instituit, & operosè per octo capita examinat. Fusè etiam eam tractat P. Albertinus disp. 3. de Prædicamento substantiæ, q. undecimâ.

SECTIO II.

In quo situs sit proprius conceptus substantiæ.

I.
Satus præ-
sentis con-
versive.

In hoc auctores omnes conveniunt, ut dixi sect. præcedente, numer. 5. substantiam scilicet esse *Ens per se*, quæ est definitio illius ab Aristotele tradita, & in scholis passim recepta. Tota igitur difficultas eò devolvitur, quo pacto nimirum intelligenda sit hæc definitio, & quid significetur per hoc quod est esse *Ens per se*, quod solis substantiis competere asseritur. Cognitâ Verò substantiæ naturâ, faciliè innotesceat natura accidentis, utpote illi e diametro oppositi, & conceptum habentis substantiæ omninò contrarium.

R. P. Th. Comptoni Philosophia,

Dicunt ergo aliqui conceptum substantiæ in hoc consistere, quòd non dependeat à subjecto sustentationis. Hæc videtur sententia Patris Suarez, & aliorum qui consequenter asserunt accidens esse illud quod sub hac ratione à subjecto dependet. Sed contrà, nam forma materialis tam verè dependet hac ratione à subjecto tanquam à sustentante, atque accidens; verè enim educitur ex potentia illius, & materia materialiter in formas illas influit, verè eas sustentando, ergo formæ materiales erunt accidentia, non substantiæ, si in hoc situs sit conceptus substantiæ.

II.
1. Sent. alic
conceptum
substantiæ
esse ut non
dependeat à
subjecto
sustentatio-
nis.

Nec refert quòd dicatur, *Accidentis esse est inesse*: hoc enim non ita est proprium accidentis, ut illi soli competat, sicque non est proprium quarto modo, sed ad summum secundo: esto enim hoc competat omni accidenti, non tamen soli, cum in aliqua etiam substantia reperiatur. Deinde, nec universim competit omni accidenti, saltem modali; creatio enim quantitatis in Eucharistiâ est accidens, & tamen non pendet materialiter ab ullo subjecto, sed est formalis independentia à subjecto, & à quâ tanquam à formâ reddatur quantitas independentis ab omni subjecto. Solum ergo intelligi universim debet dictum illud de accidentibus absolutis, illorum enim esse est inesse, etiam materialiter. Vel sensus est, accidenti, quâ accidenti competere aliquo modo inesse, naturaliter loquendo, substantiæ verò, quâ tali, hoc non congruere, esto enim in aliquibus etiam substantiis reperiatur, plurimæ tamen sunt substantiæ, quibus nullo modo competit inesse ulla ratione subjecto, ut sunt materia prima, Angeli, Coelum, & Deus.

III.
Inesse sub-
jecto non con-
venit soli
accidenti.

Quo sensu
in esse
sit proprium
accidentis.

Alij conceptum substantiæ statuunt in hoc, quòd substantat accidentibus: quod deducunt ex ipsâ etymologia nominis, ut substantia dicatur quasi à *substantia*. Sed contrà, hinc enim sequitur, Deum non esse substantiam: quo pacto intelligendus est S. Augustinus disp. præcedente, sec. secundâ, n. 4. citatus, dum negat Deum esse substantiam.

IV.
2. Sent. con-
ceptum sub-
stantiæ do-
cet esse sub-
stantiæ acci-
dentibus.

Asserunt itaque alij tertio, substantiam esse omnè id quod est radix subsistentiæ. Sed contrà, nam definitio substantiæ tradita fuit ab Aristotele & antiquis Philosophis, qui tamen nullum habuerunt vestigium subsistentiæ; ergo juxta mentem Aristotelis & aliorum non potest in eo consistere natura substantiæ quòd sit radix subsistentiæ. Deinde, hoc est valde obscuro modo tradere definitionem substantiæ, & ignotum explicare per ignotius, cum nullius rei obscurior sit notitia, quàm subsistentiæ, quæ tamen ad hanc definitionem intelligendam cognita est necessaria. Præterea, substantia ipsa, juxta omnes, est substantia, ergo conceptus subsistentiæ ut sic non potest in eo consistere, quòd sit radix subsistentiæ.

V.
3. Sententia
substantiæ
naturam
esse ut sit
radix sub-
sistentiæ.

Existimo ergo cum P. Hurt. d. 10. Met. sect. 4. & nonnullis ex recentioribus (à quâ etiam sententiâ nisi in modo loquendi, non discrepat P. Arriaga) substantiam, seu ens substantiale esse illud omne, & solum quod constituit primum conceptum rei, seu illius quod communiter & simpliciter vocatur res. Explicatur & probatur conclusio à priori: substantia est ens per se, id est, id quod per se ita constituit rem aliquam, ut illo permanente permaneat res, illo autem ablato pereat ipso facto, & destruat: sic manente materiâ & formâ aquæ simul cum unionem manet aqua, quantumcunque reliqua omnia auferantur, nempe frigiditas, siccitas, quantitas &c. ex quo optimè colligatur, materiam, formam, & unionem per se constituere rem illam, seu compositum quod vocamus aquam, non tamen vel frigus, vel siccitatem, & consequenter illa esse de primo aquæ conceptu, non hæc.

VI.
Substantia
est illud quo
manente
manet res,
quo perente
perit.

Secundò probatur à contrario: accidens est illud quod potest adesse & abesse sine subjecti corruptio-

VII.

D dd

ne

Accidens
est illud
ad cuius
corruptio-
nem res
formaliter
non tollitur.

ne : non autem potest hic esse sermo de corruptione quasi consecutivâ , sed formali , ut in Logicâ declaravimus , dum de naturâ accidentis ; sæpè enim contingit ex solâ additione , vel ablatione accidentis destrui consecutivè rem aliquam seu compositum substantiale , sic enim ex nimio calore destruitur sæpè homo , lignum , aër &c. sicut aqua ex nimia siccitate : item ex defectu caloris naturalis pereunt frequenter animalia , sicut etiam aqua ex defectu humiditatis , & frigoris , & sic de aliis.

VIII.
Ad ablationem substantiæ in-
trinsecus
rei conce-
ptus tollitur directè
& forma-
liter.

Sermo ergo est de destructione formali , nempe id omne esse substantiam , ad cuius ablationem formaliter directè , & immediatè tollitur res illa , non indirectè , mediatè , & consequenter : formalissimè autem per ablationem vel materiæ , vel formæ , vel unionis perit compositum aquæ ex. gr. unde quantumcunque concipiamus mente vel materiam , vel formam , aut etiam unionem , imò & materiam & formam , nisi concipiatur unio , non habemus conceptum objectivum aquæ ; habemus tamen si concipiamus materiam & formam unitas , licet non concipiamus quidquam aliud nempe humiditatem , frigiditatem &c. quod manifestum signum est diverso modo illa ingredi conceptum aquæ quàm hæc.

IX.
Dum ali-
quid mu-
tatur de
calido in
frigidum ,
non dicitur
mutari
simpliciter.

Tertiò probatur : quando lapis , lignum , aut homo mutatur de frigidum in calidum , non dicimus communiter mutari simpliciter res illas , sed manere easdem , & transire de frigidis in calidas : ergo id quod judicant homines , & vocant simpliciter rem in his occasionibus , non est compositum illud ex calore & subjecto , sed res illa quæ est in his substratum , ut vocant , & circa quod sunt hujusmodi mutationes.

SECTIO III.

Solutione argumentorum magis explicatur natura substantiæ.

I.
Composita
accidentia
non vo-
cantur res.

Dices primò : etiam composita accidentalia vocantur res , ut album , dulce , &c. ergo non sola substantia est res. Resp. absolute & simpliciter loquendo composita accidentalia non vocari res , nec esse de conceptu rei simpliciter dictæ ; neque enim dicimus quando aër de tenebroso fit lucidus , aut de calido frigidus , mutari simpliciter rem aliquam , sed eandem numero manere , quæ erant antè , & dicimus rem quæ erat calida , jam esse frigidam : quod arguit id quod vocamus rem simpliciter esse quid prius ad compositum accidentale.

II.
Olij. quæ-
dam acci-
dentalia
vocari res.

Dices secundò : saltem in quibusdam non videtur negari posse res accidentales vocari res ; nil enim frequentius quàm ut dicant homines se emisse mensam , sedem , librum &c. ergo nomen rei applicatur aliis etiam præterquam substantiis , cum forma horum non sit quid substantiale , sed forma aliqua accidentalis. Resp. eodem modo quo priori argumento , artificialia nimirum esse res solum secundum quid ; destructâ enim formâ mensæ vel cathedræ , adhuc dicimus simpliciter manere eandem rem , nempe lignum. Quod clariùs constat in arenâ , quam si quis in varias figuras hinc inde distribuat , ut in lineas , circulos , formam animalis , vel arboris &c. & postea in unum iterum acervum totam congerat , & confundat , dicimus manere adhuc rem eandem , licet non in eadem formâ. Cernitur etiam idem in funiculo , quem nunc proterahit quis in lineam , nunc colligit in modum , nunc in spiras & circulos , nunc in triangulos , nunc in hanc , nunc in illam figuram ducit , & postea in unum complicat , semper dicimus manere simpliciter eandem rem , seu eundem funiculum.

Artificialia
non vocan-
tur res sim-
pliciter , ut
ostenditur
varius ex-
emplis.

Signum ergo est , id quod in istis simpliciter vocatur res , non esse figuras illas artificiales , sed id quod ad eas supponitur , ac proinde figurata omnia , & artificialia non esse res simpliciter , sed secundum quid. Illud itaque solum est substantia , quod primò & simpliciter vocatur res , non autem quod secundariò tantum , & secundum quid : unde existimo , ad tollendam omnem ambiguitatem , posse substantiam vocari primam rem , quæ est res simpliciter. Sed hinc

Dices tertio : ergo essentia & substantia sunt idem ; essentia siquidem est primus conceptus cuiusque rei , ergo si substantia sit idem , confundimus essentiam cum substantiâ , quod tamen alienum est à communi iudicio , & conceptu Philosophorum. Resp. universim loquendo non esse idem essentiam & substantiam , prout hic sumimus substantiam , licet eo sensu quod dicimus esse de substantiâ albedinis disgregare visum , caloris congregare homogenea &c. hoc , inquam , sensu accidentia habent substantiam , nempe entitatem suam & essentiam.

Strictius verò in præsentī sumimus substantiam , prout dicit id quod constituit rem simpliciter , seu primam rem in omni eo quod reperitur à parte rei , & hoc sensu , licet non sit verum essentiam universaliissimè sumptam & substantiam coincidere , coincidit tamen substantia cum essentiâ physicâ rei propriè dictæ , juxta explicationem rei sect. præcedente positam ; idem enim à parte rei est res , & illius substantia , & essentia. Unde sicut quicquid ratione nostra advenit primo conceptui rei , licet ab eo realiter non distinguatur , ut admirativum , & risibile in homine & sic de cæteris , dicitur accidens metaphysicum , quia scilicet metaphysicè , seu ratione nostrâ accidit illi , & jam formaliter constitutæ advenit , ita quicquid realiter distinctum advenit rei realiter jam in primo suo esse constitutæ , ita ut non constituat rem aliquam simpliciter , est accidens physicum , accidit enim physicè & realiter quicunque rei , sicut alia accidit metaphysicè , & per intellectum.

Dices quartò : ergo forma substantialis non erit substantia ; patet , accidit enim materiæ jam in suâ entitate constitutæ. Resp. licet accidat materiæ , & sic dici possit aliquo modo accidens respectu illius , sicut rationale & irrationale dicuntur accidentia metaphysica respectu animalis , simpliciter tamen loquendo forma substantialis est substantia , quia spectat ad constitutionem rei simpliciter dictæ , nempe hominis , equi , leonis &c. ut autem aliquid sit accidens , non debet omnino spectare ad primam constitutionem , & conceptum ullius rei simpliciter dictæ , sed esse planè extra conceptum constitutivum talis rei , quod non competit formæ substantiali , imò nec unioni , quæ eandem ob causam est substantia ; omnis namque res composita includit essentialiter unionem tanquam aliquid sui constitutivum , unio enim est formaliter compositio , compositum autem non minus includit in suo essentiali conceptu compositionem , quàm album albedinem.

Substantia etiam est substantia , quia spectat ad conceptum rei simpliciter dictæ : non enim est homo sine substantiâ , sine illâ enim est tantum humana natura , non homo ; unde secundum Concilia & Patres Verbum Divinum non assumpsit hominem , ergo simpliciter non est homo sine substantiâ , ac proinde substantia est substantia. Addo tamen , materiam & formam non esse res simpliciter & absolute , sed solum cum addito , nempe res incompletas , seu ordinatas ad constituendam unam rem completam & simpliciter.

Ut ergo res aliqua sit accidens , non sufficit quod

III.
Quid in
artificiali
sit res sim-
pliciter ,
quod secun-
dum quid

IV.
Dices , ergo
confundimus
essentiam cum
substantiâ
aliquando
idem est
essentia

V.
Idem sunt
substantia
& essentia
physicæ
simpliciter
dictæ.

VI.
Forma sub-
stantialis
licet accidat
materiæ ,
est tamen
substantia.

Quid re-
quiratur
ut aliquid
constituat
accidens.

VII.
Substantia
est aliæ
modo sub-
stantia.

VIII

Unio Hypo-
statica est
substantia.

si extra conceptum unius alicujus rei, & illi accidat, sed debet esse extra omnem rem simpliciter & absolute dictam, & non spectare ad illius constitutionem, & primum ejus conceptum, ipso facto enim quod hoc praestet, est substantia saltem incompleta. Hac de causa, unio Hypostatica est substantia, nam Verbum Divinum non facit unum per accidens cum Humanitate Christi, sed unum per se, alioqui Christus esset unum per accidens. Licet ergo Verbum non egeat Humanitate, nec unione, ipso facto tamen quod unio sit de primo conceptu & constitutione alicujus rei simpliciter dictae, est substantia: unio autem Hypostatica est de constitutione, & primo conceptu Christi. Unde quamvis dici aliquo modo possit unio accidere Verbo, sicut & Humanitati, non tamen est respectu illorum accidens physicum, sed tantum Metaphysicum, id est, est aliquid extra essentialem illorum conceptum, nihil autem est accidens physicum, de quo hic loquimur, nisi quod est extra conceptum & constitutionem, non unius alicujus rei, sed omnium.

Unio Hypo-
statica ali-
quo modo
accidit, tam
Verbo, quam
humanitati.

IX. Hinc inferitur, nullam actionem, quae sit tantum

actio, esse substantiam. Ratio videtur clara: nulla enim actio est de constitutione rei simpliciter dictae, esto enim requiratur necessarium ad illius productionem, nec esse res ulla possit sine actione aliqua ejus productiva, sicut nec sine ubicatione & duratione, haec tamen non sunt de intrinseco ullius rei conceptu & constitutione, sed illi extranea.

Dixi nullam actionem esse substantiam, quae sit actio tantum: si enim actioeductiva formae materialis esset simul unio informationis tunc esset substantia, non quia actio, sed quia Unio; sub hac enim ratione spectaret ad primam constitutionem & conceptum rei simpliciter dictae, cum de primo conceptu cujusvis compositi, ut dixi, sit unio. Hoc autem modo etiam ubiatio & duratio possent esse substantia, si nimirum unio aliqua informationis esset sua ubiatio. Et certe dubitari non debet actiones illas in Divinis, seu Relationes, quibus Pater producit Filium, Pater & Filius Spiritum Sanctum, esse substantias, cum sint realiter identificate cum illis Personis.

Nulla actio,
quae sit mere
actio est
substantia.

X.
Actio, quae
simul esset
unio infor-
mationis,
foret sub-
stantia.

DISPUTATIO VIII.

De naturâ substantiae.

SECTIO PRIMA.

Premittuntur nonnulla ad substantiae naturam cognoscendam requisita.

I.
Prima
substantiae
proprietates
est substantia-
tia.

Substantiam tanquam prima illius proprietas sequitur substantia, res enim, per se loquendo, debet prius perfici substantiali sua perfectione, & proprietate, quam accidentali: cum ergo substantia sit quid substantiale, ut disputatione praecedente ostensum est, primum sibi inter substantiae proprietates locum vendicat, qua de causa illius discussionem immediatè substantiae subiciemus.

II.
Substantia
distinguitur
ab existentia
substantiae.

Certum imprimis est, quicquid reclament aliqui, substantiam distinguere ab existentia substantiae, existentia siquidem substantiae non distinguitur ab illius essentia, ut ostendi disp. 5. cum tamen substantiam à substantia distinguere certum sit, Verbum enim divinum assumpsit substantiam naturae humanae, non tamen assumpsit illius substantiam, sic enim in Christo esset duplex persona, creata scilicet & increata, quod tamen salva fide dici non potest.

III.
Humanitas
Christi nec
existit nec
existere po-
test per exis-
tentiam
Verbi.

Licet verò auctores illi conformiter ad sua principia respondeant humanitatem assumptam non solum amisisse substantiam propriam, sed etiam existentiam, & sicut subsistit per substantiam Verbi, ita etiam existere naturam humanam Christi, ita etiam existere per existentiam Verbi: non tamen satisfacit, falsum namque est humanam Christi naturam existere per existentiam Verbi: ut enim omittam impugnationes Theologicas, quae multae passim congeruntur ab auctoribus contra hanc sententiam, sic eam nunc impugno, si natura humana Christi existat per existentiam Verbi, ergo quando producebatur illa natura nihil producebatur secundum adversarios, non existentia, quia est existentia increata Verbi, ut volunt, haec autem & fuit ab aeterno, & produci non potest per actionem creatam: nec etiam produciatur humana natura, produci enim illam est juxta hos auctores produci existentiam, per quam existit, sed non produciatur hic existentia illa, ut jam ostensum est, ergo nihil produciatur.

R. P. Th. Comptoni Philosophiae.

Dices; produci unionem quae unitur humanitas existentiae Verbi. Contra primò, adversarij enim communiter negant unionem distinctam ab extremis. Contra secundò, idem argumentum fieri potest de essentia & existentia hujus unionis, haec enim unio vel existit per existentiam Verbi, vel non, si ita, ergo est eadem difficultas de unione, ac de humanitate, quam unitur, si non, sed habeat propriam existentiam, quidni ergo & humanitas habeat suam? Deinde ut dicatur res produci non sufficit quod unio aliqua producat, sed produci debet ipsa rei existentia. Quod argumentum latius prosequutus sum in Phisicis d. 9. l. 1. dum de existentia materiae.

Secundò ad clariùs procedendum in tota hac materia, explicandae sunt quaedam voces, quae ubique hic recurrunt, nempe *Essentia*, *Natura*, *substantia*, *substantia*, *Personalitas*, *suppositum*, *Persona*, *Hypostasis*, *condem*, quarum differentia ad rectè hic philosophandum est accuratissimè observanda.

Essentia ergo est *primus cujusque rei conceptus*. In hoc ab ea differt *natura* quod dicat ordinem ad operationes, ac proinde, ut alibi notavi, dicitur *Natura* quasi *nascitura*, quod indicat graecum verbum *γενεσις*, à *γενεω* vel *γενω*, quod nasci, pullulare, vel germinare significat. Hinc Aristoteles in lib. 2. phy. naturam definit *principium motus & quietis*, quod operationem seu productionem denotat.

Substantia notionem jam dedimus disp. praecedente, nempe *quod constituit rem propriè dictam*. Notandum tamen has voces, *substantia*, *Essentia*, *Natura* saepe confundi, *Essentiam* enim frequenter vocamus *Naturam*, & e contra, in Divinis enim dicunt Theologi esse unam *naturam*, & unam *essentiam* communem tribus personis. Item *substantiam* subinde confundimus cum *essentia*, ut cum dicimus albedinem esse de substantia albi, lucem de substantia lucidi &c.

Substantia (ut omittamus grammaticas vocis acceptiones, quae videri poterunt apud P. Hurt. hic & alios) est *ultimus terminus & complementum Naturae*, & idem cum *Personalitate*, cujus hic naturam & conceptum formalem inquirimus: de qua proinde plura dicentur infra. Idem autem significat apud Graecos *ὑποστασις* quod *substantia* apud latinos: & licet

IV.
Dices, pro-
ducitur u-
nio inter
humanita-
tem, & ex-
istentiam
Verbi.

Contra, ead-
em est dif-
ficultas de
essentia &
existentia
hujus u-
nionis.

V.
Voces quae
dem ex-
plicandae
sunt.

VI.
Quid sit
Essentia,
& quomodo
differt à
Natura.

VII.
Substantia,
Essentia,
& Natura
saepè confun-
duntur.

VIII.
Idem sunt
Substantia,
Personalitas,
& Hypo-
stasis.

SECTIO II.

Verum subsistentia distinguatur à naturâ, ubi, an sit quid positivum.

Non est disputata olim à Philosophis hæc questio, ad subsistentiâ quippe cognitionem cæcæ-
tiebat antiquitas, nec eam oculatissimus etiam naturâ
serutatur Aristoteles agnovit. Nec mirum; cum enim
solis principiis fidei innotescat, ex mysterio scilicet
Incarnationis; cum hoc antiquos philosophos late-
ret, eosdem etiam lateret subsistentia necesse est. In-
ter Christianos ergo solos agitur hæc controversia,
quorum proinde diversa hæc de re placita recense-
bimus.

Durandus itaque in 1. d. 3. q. 1. ait subsistentiam,
etiam in creatis non distingui realiter à naturâ ma-
gis quàm in Divinis, ubi personalitates seu subsisten-
tias cum Naturâ Divina identificari certum est. Con-
traria tamen sententia est omnium aliorum Theo-
logorum, præterquam Cajetani qui 1. p. q. 5. a. 1. Du-
randi sententiam defendere videtur.

Impugnatur verò hæc sententia primò, quia si i-
dem in re sit humanitas & homo, seu natura huma-
na & persona humana, ergo cum Verbum Divinum
assumpserit naturam humanam, verè etiam & reali-
ter assumpsit personam, & consequenter sicut in
Christo sunt duæ naturæ, ita & erunt duæ personæ,
quod est contra Concilia, & fidem.

Impugnatur secundò, si à parte rei & realiter sint
idem homo & humanitas, & solum differant secun-
dum diversum modum concipiendi & significan-
di, concretè videlicet & abstractè, sicut Ens & Enti-
tas, ut vult Durandus, ergo sicut hæc propositio est
vera, & de fide Homo est Deus, i. a. & hæc erit vera hu-
manitas & humana natura est Deus: sicut utraque hæc
propositio est vera, Ens est à parte rei, entitas est à parte
rei, cum tamen hæc propositio humana natura est
Deus sit falsa, ergo homo & humanitas, seu humana
natura non sunt idem realiter & à parte rei.

Vidit has difficultates acutissimus noster Scotus:
quare aliam philosophandi rationem instituit. Ait
ergo subsistentiam necessariò aliquid superaddere
naturæ, & non esse idem hominem & humanitatem,
id tamen quod subsistentia superaddit naturæ docet
non esse quid positivum, sed solum negativum. In 3.
itaque d. 1. q. 1. ait Scotus suppositum superaddere
naturæ duplicem negationem, alteram aptitudina-
lis dependentiæ, seu quod ex naturâ suâ petat non
dependere ab alio tanquam à supposito, alteram ac-
tualis dependentiæ, & consequenter ait humanita-
tem Christi, licet unita Verbo retineat adhuc nega-
tionem aptitudinalis dependentiæ, perdere tamen
negationem actualis, cum actu pendeat à Verbo, cui
unitur, & consequenter amittit propriam subsisten-
tiam: & hoc modo inquit salvantur difficultates con-
tra opinionem Durandi jam propositæ. Scotum hæc
in parte sequitur tota penè illius schola.

Hæc sententia, quamvis plausibilis, si tamen duas
has negationes penitus intueamur, non videtur ut-
quequeque vera. Et primò, negatio illa aptitudinalis
dependentiæ non magis videtur esse negatio quàm
differentia irrationalis, quæ licet negationem sonet,
re tamen verà negatio non est, sed differentia positi-
va: sic negatio hæc aptitudinalis dependentiæ nil al-
liud est quàm ipsa entitas cujusque naturæ habentis
positivam ineptitudinem & repugnantiam natura-
lem ut uniatur alteri tanquam supposito, ergo nil o-
pus negatione superaddita, sed hæc positiva repu-
gantia & ineptitudo sufficit. Deinde inquiri cupi-

IX.
Concedim
Deo possunt
tres Hypo-
stases, sicut
tres Perso-
nalitates.

X.
Suppositum
varie sumi-
tur.

Latius pa-
teret suppo-
situm, quam
Persona.

XI.
Persona est
rationalis
natura in-
dividua
substantia.

XII.
Quid hic
intellegerit
Aristoteles
per primam
substantiam.

XIII.
Partes com-
positi sub-
stantialis
non sunt
suppositum.

nonnulli ex sanctis Patribus pro eodem aliquando
usurpent *ὁμοούσιον* & *εἰς ἓν*, quæ de causâ admittere
in Deo tres *ὁμοούσιους* recularunt, ne tres enim *εἰς ἓν*
in eodem admittere viderentur, & consequenter
Filius in divinis non esset *ὁμοούσιος* Patri, sed solum
ὁμοούσιος, id est, non ejusdem, sed similis naturæ,
quod sonat distinctionem naturarum, cum nullum
simile sit idem: quod tamen salvâ fide dici non po-
test.

Si tamen per *ὁμοούσιον* intelligatur sola personali-
tas, seu id tantum quod additur naturæ tanquam ul-
timum complementum substantiale, & terminus il-
lius, non est cur quisquam ducat sibi religioni con-
cedere tres hypostases, seu personalitates in divinis,
cum vox *hypostasis* non significet naturam nec essen-
tiam. Est ergo hypostasis seu subsistentia id quod su-
peradditur humanitati ex. gr. ut constituat hominem
seu personam humanam, nec enim sola humanitas
est homo, seu persona humana, sic enim, ut dixi. Ver-
bum assumpsisset hominem, & Personam huma-
nam, & consequenter essent in Christo duæ Perso-
næ, creata altera, altera increata, cui tamen refraga-
tur fides.

Suppositum aliquando sumitur pro eodem ac sub-
sistentia, communiter verò accipitur pro toto, seu
composito ex naturâ & subsistentia: unde latius pa-
tet suppositum quam Persona, cum suppositum significet
quodvis compositum constans ex naturâ & subsis-
tentiâ, sive natura illa sit rationalis, sive irrationalis;
nec enim homo tantum & Angelus, sed equus, leo,
lapis & cætera irrationalia, & inanimata sunt suppo-
sita, non tamen personæ, hæc quippe soli competit
composito ex subsistentiâ & naturâ rationali, Ange-
lo nimirum & homini, atque etiam Deo, licet pro-
priè non sit compositum, cum personalitas in eo à
naturâ non distinguatur.

Definitur proinde Persona à Boëtio lib. de dua-
bus naturis quod sit *rationalis natura individua sub-
stantia*, id est naturæ intellectualis. Videatur P. Hurt.
d. 1. Met. f. 1. §. 3. & 4. ubi acriter objurgat Vallam
Grammaticum, quod Boëtium reprehendat, tan-
quam parum latine hæc *Persona* vocem ac ratione
usui pantem, cum Persona, inquit Valla, non hoc sed
larvam significet. D. sendit tamen Boëtij acceptionem
P. Hurt. ex primæ latinæ auctoribus, sequæ Cice-
ronem legisse ostendit. Sed de hoc satis.

Magna hic est lis de nomine, circa mentem Ari-
stotelis, utrum scilicet idem apud ipsum sit suppositum
& prima substantia. Si per suppositum intelligatur il-
lud, quod nos jam intelligimus, nempe natura subsis-
tens, certum videtur Aristotelem per primam sub-
stantiam non intellexisse suppositum, cum subsisten-
tiam non noverit. Unde Aristoteles per primam sub-
stantiam intellexit solum substantiam completam,
ut distinguitur contra incompletam physicè, siveque
animam, materiam primam, & formas materiales
ait non poni per se in prædicamento, sed solas sub-
stantias completas, hæc autem sine subsistentiâ non
sunt supposita, nec enim humanitas est suppositum,
sed homo, seu natura subsistens.

Partes ergo compositi substantialis non sunt sup-
positum, nec Persona: neque enim anima rationalis
est Persona, nec anima equi, aut materia suppositum,
ut eorum sit persona vel suppositum, debet esse indi-
vidua seu prima substantia, id est, natura omnino com-
pleta & integra. Natura autem hæc non accipitur sic
ut in physicis, secundum illam quippe naturæ acce-
ptionem partes sunt natura, materia videlicet & for-
ma, non totum: hic autem per naturam intelligimus
totum, vel simplex, ut est Angelus & cælum, vel com-
positum ut sunt homo, equus, leo, lapis, &c.

I.
Int ex solis
Christianis
disputatur
hæc questio.

II.
Durandus
negat sub-
sistentiam
creaturæ
distingui à
naturâ.

III.
Sed contra;
tunc enim
Verbum as-
sumpsisset
creaturam
subsistentiam.

IV.
Contra;
ergo hæc
propositio
est vera
Humana
natura est
Deus.

V.
Scotus sub-
sistentiam
ait consistere
in negatione.

VI.
Ostenditur
subsistentiam
non consi-
stere in ne-
gatione.

rei sit hæc negatio? Dices, aptitudinis naturalis ad dependendum ab altero tanquam à supposito. Contra, hæc aptitudo est impossibilis, ergo negatio hæc est negatio rei impossibilis & chimære, ut in simili ostendi in Log. d. 19. f. 2. de negatione identitatis dum de distinctionibus. Ac proinde non video cur ponant hujusmodi negationem de conceptu subsistentiæ, vel supposito.

VII. Contra secundam etiam negationem, nempe actualis dependentiæ est, nam juxta hunc modum philosophandi redduntur ridiculæ definitiones Conciliorum, dum enim definiunt Concilia contra Nestorium, & illius sequaces Hæreticos asserentes fuisse in Christo duas Personas, sicut sunt duæ naturæ, dum, inquam, definiunt humanitatem per assumptionem & unionem ad Verbum amisisse propriam subsistentiam; sensus hujus definitionis foret humanitatem unitam Verbo, seu habentem unionem ad Verbum non mansisse deunitam, & sine unionem ad Verbum, quod ut constat, est ridiculum. Nec sanè ad veritatem hanc declarandam opus erat tantâ de liberatione, & convocatione Concilij, cum nullus, ut velit, hoc ire inficias possit, nec ullus unquam fuit hæreticus tam stupidus, qui, si subsistere subsistentiâ propriâ sit non uniri alteri, possit affirmare humanam naturam Christi retinere subsistentiam propriam, cum implicet esse simul unitam alteri, & non esse alteri unitam: ergo aliud intelligunt omnes per subsistere subsistentiâ propriâ, quam non uniri alteri. Magis impugnabitur hæc sententia sec. sequente in probatione nostræ.

SECTIO III.

Subsistentia non consistit in negativo, sed positivo.

I. Dicendum, subsistentiam superaddere naturæ aliquid, non negativum sed positivum. Hæc sententia, inquit, P. Oviedo; exceptis auctoribus citatis, est communis omnium doctorum. Eam tenet Bannez 1. p. q. 3. a. 2. d. 1. Capreol. 3. p. q. 4. a. 2. d. 4. concl. 2. asserens eam esse communem Thomistarum; Suarez d. 34. Met. f. 2. n. 20. Vasq. to. 1. in 3. p. d. 3. l. c. 6. asserens esse conformem modo loquendi S. Thomæ 3. p. q. 2. a. 2. & 1. p. q. 3. a. 3. Valent. to. 4. d. 1. q. 4. punc. 2. Albertin. de prædic. substantiæ c. 3. q. 7. Hurt. hic d. 1. f. 3. Arriaga hic d. 4. f. 11. nu. 90. Oviedo hic cont. 6. p. 2. n. 6. & alij. Imò eoulque procedunt aliqui, præsertim Suarez & Valentia, ut sententiam supra dictam de subsistentiâ consistente in negatione, non penitus à censurâ immune judicent.

II. Hanc conclusionem fatentur omnes naturali ratione convinci non posse, cum subsistentia solâ fide nobis innotescat: præter dicta tamen sectione præcedente suadet primò, quia subsistentia secundum omnes est complementum & perfectio naturæ, hoc autem sonat aliquid positivum. Secundò, quia aliqui suppositum seu persona in creatis esset Ens per accidens, ex negatione enim & Ente positivo non constituitur unum per se.

III. Tertio à paritate rationis ex subsistentiâ increatâ, personalitates namque in Divinis sunt quid positivum, nec enim Personæ Divinæ constituuntur negationibus, cum Verbum Divinum assumens naturam humanam, verè eam sibi unierit, ergo natura humana non unitur tantum negationi realiter à Verbo distinctæ, ergo à paritate rationis in creatis idem continget, & sicut natura Divina subsistit, & redditur incommunicabilis per aliquid positivum distinctum virtualiter ita natura humana reddetur incommunicabilis per aliquid positivum distinctum realiter.

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

ter; quæ enim est major ratio, præsertim cum fundamentum quod habemus ad subsistentiam astruendam desumatur ex Divinis, & subsistentia creata sit participatio subsistentiæ divinæ, unde & eadem definitio juxta omnes convenit personæ creatæ & increatæ, nempe quod sit rationalis natura individua substantia.

Objicies primò: Nullum est fundamentum in scripturâ aut Patribus ad statuendum subsistentiam in positivo, ergo malè eam statuimus in positivo. Contra, nullum etiam est fundamentum in scripturâ aut Patribus ad illam statuendam in negativo, ergo similiter malè statuitur in negativo. Resp. ergo ex Conciliis & Patribus ratione mysterij Incarnationis solum haberi debere dari aliquam subsistentiam, in quo verò consistat, in positivo scilicet an negativo Patres non disputant, sed Philosophis, quorum interest, disquirendum relinquunt. Nos ergo ob argumenta, tum hac, tum præcedente sec. allata, eam statuimus in positivo, tanquam quid rationibus philosophicis conformius, multoque, meo judicio, clariùs hac in re procedimus, quam ij, qui eam negationibus involvunt.

Adde tamen non leve ex Conciliis ad hoc desumi fundamentum, nec enim, ut dixi sec. præcedente n. 7. opus erat convocare Generale Concilium ad probandum humanam naturam habentem unionem ad Verbum non carere hac unionem, seu solem habentem lucem non habere privationem lucis. Quid, inquam, opus hac in re definitione Concilij, cum res æquè clara sit, ac solem meridie lucere.

Objicies secundò: salvatur sufficienter conceptus subsistentiæ per negationem, ergo non est opus quidquam ibi statuere positivum superadditum. Resp. negando antecedens, tum quia subsistentia creata est participatio divinæ, quæ est quid positivum: tum quia subsistentia est complementum quoddam, ornatus, & perfectio naturæ: tum ob alias rationes & in impugnatione prioris sententiæ supra sect. præcedente, & hic in probatione nostrâ positas.

Objicies tertio: humanitas Christi assumpta fuit à Verbo cum omni entitate positivâ, quæ ipsi naturæ suæ debebatur: unde S. Damascenus l. 3. c. 6. ait Verbum assumpsisse omnem rem, quam in humana natura plantaverat, ergo quæcumque in ipsa est entitas positiva debebat assumi, alioqui omnem rem in eâ existentem non assumpsisset. Contra, etiam Concilium Trid. sess. 13. can. 2. definit substantiam panis destrui manentibus panis speciebus, seu accidentibus, & tamen certum est non manere ubicationem panis & durationem. Sicut ergo hic intelligi debet Concilium de accidentibus tantum absolutis, ita ibi intelligi potest S. Damascenus de omni re quam plantaverat in naturâ seu essentia, id est, de omni re quæ intrinsecè constituit essentiam, totam scilicet humanitatem, quod conforme est aliis Patribus, & Theologis dicentibus Verbum assumpsisse humanitatem, non hominem.

Objicies quartò: si subsistentia sit quid positivum, humanitas Christi jam unita Verbo, est in statu violento, utpote naturali suâ perfectione orbata. Resp. negando sequelam, tunc enim solum aliquid est in statu violento ex ablatione alicujus perfectionis naturalis, quando aliunde non suppletur per aliquid æqualis, vel majoris perfectionis, prioris loco datum: hic autem in infinitis perfectiùs subsistit humana natura per subsistentiam Verbi, quam subsisteret per propriam.

Hinc infero non solum subsistentiam hominis distingui ab illius naturâ, sed subsistentiam etiam rerum irrationalium, utpote quæ non sunt magis simplices sub hac ratione quam homo, Angelos etiam

IV. Dices, Patres non asserunt subsistentiam consistere in positivo. Contra, nec dicunt consistere in negativo.

V. Ex Conciliis deductur subsistentiam consistere in positivo.

VI. Non salvatur conceptus subsistentiæ in negatione.

VII. Obij. hinc sequi subsistentiam fuisse à Verbo assumptam.

Ostenditur hoc non sequi.

VIII. Nec sequitur humanitatem Christi esse in statu violento.

IX. Angeli etiam habent subsistentiam distinctam.

jam habere subsistentiam distinctam videtur probabilius, tum argumento ducto ab homine & animâ rationali, quæ in triduo mortis mansit unita hypostaticè Verbo: tum quia sicut non potest creatura esse sua operatio, ita nec sua subsistentia, ut ait S. Tho. hæc enim simplicitas videtur peculiaris Deo: tum demum suadet ex loco illo S. Pauli ad Hebræos c. 2. v. 16. ubi de Deo ait *Nusquam apprehendit Angelos, sed semen Abrahæ*, hoc est ut communiter exponitur, non sibi univert hypostaticè naturam Angelicam, sed humanam: qui locus probabiliter suadet intentum.

SECTIO IV.

Quis sit effectus formalis subsistentiæ.

I. Nullibi major vel opinionum diversitas, vel confusio, quam in hac quæstione, ita ut vix quidquam certi sit in quo pedem figere possimus, quod ex huius rei obscuritate provenit, utpote, quæ ex sola fide innotescit, natura quippe nullum præbet illius indicium.

II. Prima ergo est nonnullorum opinio effectum formalem subsistentiæ in hoc consistere, ut reddat naturam quam afficit independentem à subjecto sustentationis. Sed contrà primò, formæ materiales, ut postea videbimus sec. 9. n. 7. habent suam subsistentiam, & sanguis fuit assumptus à Verbo (licet secundum probabilem sententiam non vivat saltem animâ rationali) quod etiam de unguibus & capillis verum est, nullus tamen dicit has formas in corpore Christi creari. Contrà secundò, Angelus est essentialiter independens à subjecto, ergo non est cur ad hoc indigeat subsistentiâ distinctâ. Tertiò, ipsa subsistentia educitur ex potentiâ alicujus subjecti, ergo non dat subjecto suo denominationem, & effectum formalem independentis à subjecto sustentationis: sicut propterea non potest generatio reddere terminum suum independentem à subjecto. Quartò, quia jam idem est effectus formalis subsistentiæ, & creationis, quod nullus concedet.

Contrà, ipsa subsistentia educitur ex potentiâ subjecti.

III. Secunda aliorum sententia est, qui cum P. Vasquez affirmant effectum formalem subsistentiæ esse reddere naturam in se sistentem. Sed contrà, nam per naturam in se sistere, vel intelligunt non posse eam communicari alteri naturæ, vel non posse communicari alteri supposito: non primum, natura enim quævis, Angelica ex.gr. est ex naturâ suâ sistens in se hoc sensu, id est, non communicabilis seu non unibilis alteri naturæ, nec enim uniri potest natura Angelica humanæ, nec humana equinæ, aut leoninæ, ergo ad hoc non indiget aliquo distincto. Nec etiam secundum, nempe reddere naturam incommunicabilem alteri supposito, seu naturæ subsistenti, nil enim vetat naturam terminatam unâ subsistentiâ terminari aliâ, sive propriâ, sive alienâ ut ostendimus sec. sexta.

IV. Tertiò dicunt aliqui effectum formalem subsistentiæ esse reddere rem ita per se existentem, ut non sit in alio, tanquam in composito quod constituit. Sed contrà primò, ergo non est cur Angelus habeat subsistentiam, cum non egeat aliquo per quod reddatur ita per se existens, ut non possit esse in alio tanquam in composito, ex naturâ enim suâ non potest constituere compositum, nec ad hoc ullam dicit aptitudinem, sicut dicunt materia & forma, sed positivam repugnantiam. Contrà secundò, idem argumentum à fortiori urget in Deo, unde nullam habere deberet subsistentiam. Contrà tertiò, anima rationalis etiam unita corpori subsistit, sicut & materia, imò & omnes formæ materiales, ergo effectus

Varie refellitur hæc sententia.

formalis subsistentiæ non est ita reddere rem per se existentem, ut non sit in alio tanquam in composito.

Contrà quartò, nam singulæ partes, singuli palmi v.g. aquæ in mari vel fluvio habent suam subsistentiam, & tamen uniuntur aliis partibus, ergo subsistentia non reddit aliquid incommunicabile alteri tanquam composito. Dicere autem, ut nonnulli aiunt, quando gutta aquæ, ut in pluvîâ unitur mari perire semper totam subsistentiam & guttæ illius, & maris, videtur omninò gratis dictum, nulla enim huius rei assignari ratio potest, nisi petendo principium. Deinde non solvit difficultatem, adhuc enim pars illa unita habet subsistentiam, & tamen est in composito, ergo effectus subsistentiæ non est reddere rem incommunicabilem alteri tanquam composito.

Nec dici potest effectum formalem subsistentiæ non esse reddere rem incommunicabilem composito integrali, sed tantum substantiali, ac proinde fermentationem non esse de parte integrali, sed substantiali, materiâ scilicet & formâ: Contra enim est, idem namque formari potest argumentum in iis, nec videtur cur anima rationalis quando denuò unitur materiæ, perdat priorem subsistentiam. Deinde anima unita subsistit, saltem per subsistentiam totius, & tamen est in composito, ergo. Quod si dicas animam, dum est in hoc composito non posse uniri alteri, sic nec potest, licet non haberet subsistentiam. Tandem, subsistere secundum hos auctores est in se & per se sistere, sed non minùs huic conceptui obest quod communicetur composito integrali, quàm substantiali, ergo.

SECTIO V.

Rejicitur quartus modus explicandi effectum formalem subsistentiæ, & resolvitur quæstio.

Quartò affirmant alij effectum formalem subsistentiæ esse reddere naturam incommunicabilem alteri tanquam supposito, id est, tollere illius indifferentiam in ordine ad alia supposita & subsistentias alienas, ut scilicet non possit, dum habet hanc, ab iis terminari. Contrà, non est cur ibi detur quidquam ad tollendam indifferentiam, ubi nulla est, sed non habet natura indifferentiam ut uniatur alteri supposito, aqua ver.gr. ut uniatur igni, vel homo angelo, aut illius subsistentiæ, ergo &c.

Dices, tolli saltem indifferentiam, quam subjectum habet ad aliam ex propriis subsistentiis, & hunc esse effectum formalem subsistentiæ. Contrà, hic enim non est peculiaris effectus formalis ullius formæ, sed quasi effectus transcendens omnium, sic enim dicere quis posset effectum formalem caloris ut unum, vel ut octo, esse tollere indifferentiam subjecti ad alium calorem ut unum, vel ut octo, cum esse duo simul ejusdem rationis in eodem subjecto naturaliter non possint, & sic de aliis qualitatibus absolutis. Idem est in ubicatione, & formis respectivis, dicere enim quis eodem modo posset effectum formalem ubicationis esse tollere indifferentiam subjecti ad aliam ubicationem in eodem loco, cum plures ibi sint possibiles, sed simul impossibiles. Sicut ergo nullus ad hanc solummodò indifferentiam tollendam assignat formam aliquam, nisi alius quispian sit illius finis, ut in ubicatione determinare ad hoc spatium, potius quàm ad illud &c. ita nec in subsistentia hoc solum sufficit ad effectum illius formalem.

Dices secundò, non addi subsistentiam, ut tollat naturalem indifferentiam in ordine ad alienum suppositum, ubi enim non est naturalis indifferentia, ut dictum

V.
Refutatur
ulterior
compositio
integrali.

VI.
Idem ostenditur in
composito
substantiali.

I.
4. Sent. est
subsistentia
reddere rem
incommunicabilem
alteri tanquam
supposito.

Rejicitur.

II.
Nec dici
potest tollere
indifferentiam
ad aliam ex
subsistentiis
propriis.

III.

III.

Dices sub-
sistentia
tollit indis-
creti ad
habendum
aliam sub-
sistentiam
supernatu-
raliter.

Resp. sub-
sistentiam
primario
respicere res
intra ambi-
tum natura.

IV.
Effectus
formalis
subsistentia
est, ut sit
ultimus
terminus
naturæ.

V.
Secundo ex
eo probatur,
quod res
alia habeat
suum com-
plementum.

VI.
Nec hinc
sequitur do-
bere sub-
sistentiam in
creatis ope-
rari simul
cum natura
physicæ.

dictum est supra in impugnatione hujus sententiæ, non est cur tollatur, sicut si Petrus non posset esse nisi in uno loco, non est cur daretur ei ubicatio distincta, nec cur detur oculo qualitas, quæ ipsum impediatur a receptione auditionis. Datur ergo subsistentia ut impediatur quo minus natura, non naturaliter, sed supernaturaliter uniatur alteri supposito. Contrā primò, postea enim videbimus utrum natura habens propriam subsistentiam non possit divinitus terminari simul alienā. Contrā secundò & præcipue, subsistentia enim est connaturalis proprietati, connaturaliter naturæ debita, ergo ex primario suo conceptu dicere solum debet ordinem ad res intra ambitum causarum naturalium, nec respicit primario Deum ut auctorem supernaturalem: quævis enim forma naturalis habet effectum naturalem sibi proportionatum, & respicit directe solas naturæ leges, nec peculiari modo respicere potest ordinem supernaturalem, saltem tanquam præcipuum quasi suum intentum, quod tamen hic contingeret.

Dicendum ergo, munus & effectum formalem subsistentiæ esse ut sit ultimus terminus & complementum naturæ. Hoc probatur primò ex sanctissimā Trinitate, ubi tres illæ subsistentiæ idem repertiuntur, ut ultimum terminant, & compleant naturam Divinam, ergo & in creatis simile quid debet reperiri, præsertim cum, ut dixi, totum fundamentum quod habemus ad astraendum hujusmodi subsistentiam, defumatur ex fide. Non tamen est propterea necessarium, ut quævis natura habeat tres subsistentias, sicut habet divina: ibi enim duplex munus habet subsistentia, ut compleat scilicet, & ut personas distinguat; at in creatis non est cur habeat hoc secundum, cum ipsæ naturæ distinguantur per se, quod non contingit in divinis, eadem enim est natura omnium trium Personarum.

Secundò probatur: nam in probabili sententiā res quævis continua habet sua puncta terminativa: res item omnes habent sua complementa accidentalia, per quæ compleantur, saltem imperfecto quodam modo, ut flos colorem & odorem, lac dulcedinem, sol lucem &c. eadem ergo ratione & substantiæ debitum est complementum aliquod substantiale, ei proportionatum, per quod compleatur, & perficiatur intrinsece in ratione existendi completè.

Dices; ergo subsistentia debet unā cum substantiā operari, & physicè producere actiones, hoc enim præstant subsistentiæ Divinæ in Patre & Filio. Resp. negando consequentiam, ratio enim cur in Divinis subsistentia sit comprincipium, saltem parziale productivum in Patre & Filio est, quia principium producens debet saltem inadæquatè, distinguì à termino producto, cum nihil possit primò producere se: in Divinis autem nulla est distinctio, ubi non est relatio per productionem oppositio. Cum itaque, ut dixi, naturæ in creatis distinguantur realiter, nil opus ut subsistentia ad hoc sit principium partialiter influens & producens. Hæ rationes in re tam obscuræ sufficiunt ad probandum effectum formalem subsistentiæ, quam cum constet ex fide dari, & non appareat quis aptior assignetur illius effectus, satis congruè assignatur iste, ut his argumentis valde probabiliter suaderetur.

SECTIO VI.

Possine natura aliqua terminari duplici subsistentiā.

I.
Supponitur
posse sub-
sistentiam

Supponimus pro præsentī (de quo disputabitur sec. 8.) posse subsistentiam unius naturæ uniri alteri, non numero tantum, sed etiam specie distinctæ

nempe non solum posse subsistentiam Petri uniri Paulo, sed etiam subsistentiam Michaëlis posse uniri Gabrieli, specie à Michaële distincto, subsistentiam Angeli posse uniri naturæ humanæ &c. Et certum est posse subsistentiam Divinam uniri naturæ humanæ, cum de facto assumpta sit à Verbo.

Prima sententia negat posse naturam terminatam propriā subsistentiā simul terminari alterā, saltem alienā, licet nonnulli ex his auctoribus non negent posse simul terminari duplici propriā. Unde affirmat hæc sententia, si Persona aliqua Divina assumeret naturam humanam aut Angelicam, quæ prius extitisset terminata propriā subsistentiā, debere hanc necessariò destrui, nec posse per Divinam potentiam contrarium contingere: ita Scotus in 3.d. 1.q. 2. §. Ad Questionem igitur, Durandus in 1.q. 3. ad 2. Capreol. in 3.d. 1. Cajet. 3.p. q. 3. a. 6. Henric. quodl. 6. q. 7. Suarez 3.p. d. 14. l. 1. Vasquez 3.p. d. 29. c. 2. n. 6. & alij.

Secunda sententia universim asserit posse naturam habentem propriam subsistentiam simul terminare alienam; ita P. Hurt. d. 11. Met. §. 7. P. Arriaga hic d. 4. l. 13. n. 118. P. Oviedo hic cont. 6. p. 5. n. octavo, & alij.

Prima Conclusio: Potest natura aliqua supernaturaliter simul terminari duplici subsistentiā propriā. Ita auctores secundæ sententiæ, Suarez etiam 3.p. d. 14. l. 1. fine, & Valq. 3.p. d. 29. c. 2. n. sexto. Ratio est, quia non solum nulla hujus rei apparet impli- cantia, sed à paritate aliarum rerum videtur valde probabiliter suaderi: sic enim d. 18. Phy. l. 5. ostendi posse dari duplicem actionem totalem: & communis sententia affirmat posse duas formas substan- tiales homogeneas, duas scilicet formas ignis nume- ro tantum distinctas, esse simul in eadem parte ma- teriæ, & alia hujusmodi.

Secunda conclusio: potest etiam eadem natura simul terminari duabus, aut pluribus subsistentiis alie- nis. Ita præter auctores n. 3. citatos sentit Vasquez d. illa 29. n. 6. & alij. Ratio est, quia posito quod sub- sistentia aliena possit terminare aliam naturam, de quo postea, nulla specialis hac in re est difficultas major, quam quod natura simul terminetur à dua- bus subsistentiis propriis, & admittunt omnes, qui docent posse eandem numero naturam simul à tri- bus Divinis Personis assumi, quod docet in primis S. Thomas 3.p. q. 3. corp. Alensis 3.p. q. 2. memb. 4. D. Bonav. in 3.d. 1. a. 1. q. 3. Gab. in 3.d. 1. q. 1. a. 3. dub. 3. Okam in 3.d. 1. q. 1. a. 3. Henr. quodl. 6. q. 7. Capreol. in 3.d. 1. q. 1. & alij plurimi. Tota ergo diffi- cultas eo devolvitur, an scilicet possit eadem natu- ra simul propriā & alienā subsistentiā terminari.

Tertia conclusio: potest natura aliqua terminata propriā subsistentiā simul terminari alienā. Est con- tra auctores primæ sententiæ, eam tamen tenent au- ctiores secundæ. Ratio est primò, nulla enim hujus rei assignari potest urgens implicantia, ut constabit ex solutione argumentorum sec. sequente. Conf. communis sententia affirmat, nec abnuunt plerique ex adversariis, posse eandem naturam humanam, aut Angelicam à tribus Divinis Personis simul assumi, ergo & existens in propriā subsistentiā poterit ab unā ex Personis Divinis assumi. Hanc consequen- tiam acutissimus Scotus ait. negari non posse, qua de causâ negat ipse antecedens: contraria tamen sententia, ut dixi, est communis.

unius na-
tura alteri
naturæ uni-
ri.

II.
1. Sent. est
posse natu-
ram termi-
nari duplici
propriā sub-
sistentiā,
non duplici
alienā.

III.
Secundæ
sententiæ.

IV.
Potest natu-
ra simul
habere duas
subsistentias
propriās.

V.
Potest na-
tura habere
simul duas
subsistentias
alienas.

VI.
Potest na-
tura termi-
nari simul
subsistentiā
propriā, &
alienā.

SECTIO VII.

Argumenta contententia non posse naturam aliquam terminari simul substantia propria & aliena.

I. *Natura naturam est per se per alienam substantiam quam per propriam.* Objicies primò, cum P. Suarez citato, & ex parte idem affirmat Valquez: non potest eadem natura simul esse per se, & esse in alio, hæc enim non minus sunt effectus contradictorii, quam rectum & curvum, generari & creari respectu ejusdem rei. Resp. negando suppositum, nempe naturam terminatam aliena substantia, non verè esse per se per illam; idem enim est effectus formalis primarius omnis substantiæ, unde non minus est per se humanitas Christi modò per substantiam Verbi, quam esset per propriam, cum Verbum non det alium effectum formalem, vel quasi formalem, quam daret substantia creata cujus locum supplet.

II. Si autem per esse in alio intelligant terminari aliena substantia, concedi poterit naturam illam esse in alio, hic tamen effectus non contradicit priori, sed habet naturam eundem effectum à diversis formis, cum omnes substantiæ in hoc conveniant quod tri-
Quo sensu esse per se, & esse in alio non sunt opposita. buunt naturis quas afficiunt, esse per se. Esse ergo per se, & esse in alio hoc sensu non sunt contradictoria, si proveniant à diversis formis; unde sicut potest idem corpus per diversas ubicationes esse simul distans & propinquum respectu alicujus termini, ita & esse per se & esse in alio. Quod etiam verum existimo de generatione & creatione, posse scilicet rem eandem simul per diversas actiones generari &

Aliud est de rectitudine, & curvitate. creari, ut ostendit in phys. d. 4. r. s. 2. n. sexto. Aliud est de rectitudine & curvitate, cum rectitudo dicat locationem corporis in tali spatio, & negationem alterius locationis, quam dicit curvitas.

III. *Clare refellitur Nestorius.* Objicies secundò cum eodem Suarez: Patres ex verà & substantiali unione Verbi ad humanitatem colligunt hanc non habere propriam substantiam, & inde refutant Nestorium. Resp. benè colligi ex unione ad substantiam Verbi tolli propriam, cum ex naturâ rei debeat desinere, Patres autem solum loquuntur de facto, ex quo abundè refellitur Nestorius; nec quæsierunt, quid de potentiâ absoluta contingere potuisset.

IV. *An natura uniretur pluribus substantiis, faceret unum per se cum omnibus.* Urgebis, aliquos ex Patribus asserere, si essent in Christo duæ Personæ fore unionem tantum accidentalem. Contrà primò, tres Personalitates Divinæ terminant eandem naturam Divinam, cum qua tamen non constituunt unum per accidens, quia non terminant se invicem, ergo si ita uniatu-
Idem sensu. r personalitas Verbi humanitati habenti propriam substantiam, ut non uniatu-
Idem sensu. r substantiæ, non necessariò facit cum eâ unum per accidens. Quod etiam videtur clarum in sententiâ adversariorum dicentium posse eandem naturam creatam assumi à tribus Personis Divinis, cum quibus tamen non constitueret unum per accidens.

V. *Solum ratione Patres faciunt unum per accidens, quando una substantia uniretur alteri substantiæ.* Patres ergo dicunt unionem tunc fore accidentalem; quando personalitas nova adveniret naturæ ut terminatæ propriâ substantiâ, seu quando uniretur ipsi substantiæ, cum qua nullam habet proportionem ad faciendum unum per se. Hanc esse mentem Patrum aperte colligitur ex Concilio Ephesino can. 13. ubi dicitur Verbum non esse factum hominem solâ assumptione personæ, seu naturæ terminatæ substantiâ: Quod si factum fuisset, inquit Patres, unio non fuisset substantialis, sed per accidens: sicut si forma ligni uniretur materiæ ferri ut informatæ formâ ferri, faceret unum per accidens,

sic enim uniretur formæ ferri: simpliciter tamen non est necessarium ut uniatu-
VI. r hoc modo, sed uniri immediatè poterit materiæ, etiam informatæ formâ ferri, & tunc, non obstante hac formâ, fieret unum per se.

Objicies tertio cum Cajetano & aliis: necessariò debere in hoc casu Verbum terminari ad Personam quâ personam, persona enim nihil aliud est quàm natura terminata substantiâ, ergo. Conf. actiones & passionis sunt suppositorum, ergo secunda substantia advenit naturæ ut substantiæ. Contrà, Pater æternus potest assumere naturam humanam terminatam substantiâ Verbi, & facere unum per se cum illâ, ergo tunc non assumeret personam. Contrà secundò, potest secundum omnes ferimè natura terminata propriâ substantiâ terminari aliâ propriâ, quæ tamen non accederet personæ formaliter, nec unum per accidens, sed per se cum naturâ illâ constitueret.

VII. *Alia actiones sunt suppositorum, non illa quæ est productio substantiæ.* Ad argumentum ergo & confirmationem resp. licet actiones & passionis sunt suppositorum, hoc tamen intelligi debere de aliis actionibus & passionibus præter productionem vel unionem substantiæ: sicut enim prima unio veleductio substantiæ non est suppositi, seu naturæ substantiæ, ita nec reliquæ sive substantiæ illæ sint propriæ, sive alienæ: sicut etiam licet aliæ operationes sint corporis ubicati, non tamen productio ubicationis. Ratio est, quia aliæ actiones & passionis supponunt rem substantentem, ita ut connaturaliter prius subsistere debeat, quàm ullo modo agat, una autem substantia non supponit aliam, imò connaturaliter expellit, ergo substantiæ omnes respiciunt naturam disparatè, & secundum se, non ut substantentem.

Dices; quando eandem naturam terminat substantia propria & aliena, propria habet magis intrinsicam connexionem cum illâ naturâ, ergo est quedam inter illas subordinatio. Distinguo consequens est quedam subordinatio, hoc est, una magis connaturaliter debetur quàm alia, concedo; ita ut aliena substantia supponat propriam, nego: sicut, si idem corpus esset in eodem loco circumscriptivè & definitivè, licet circumscriptiva ubicatio sit magis connaturaliter debita quàm definitiva, non tamen esset ea subordinatio, ut hæc supponeret illam. Et clariùs si in materiam dispositam per calorem ut octo indueretur simul forma ignis & aquæ, licet illa magis connaturaliter materiæ illi secundæ, ut loquuntur philosophi, debeat, forma tamen aquæ non illam præsupponit, nec facit unum per accidens cum illâ materia, esto in sensu dicto prius sit in illa forma ignis, hoc est magis connaturaliter.

IX. *Ultimò dupliciter completum, non potest ulterius compleri, potest completum specificativè.* Objicies quartò: implicat ultimum ulterius terminari, ergo implicat ultimum completum substantialiter ulterius compleri substantialiter. Contrà primò, natura creata terminata unâ substantiâ divina, & completa ultimum substantialiter ab illa, potest assumi ab alia. Contrà secundò, natura habens unam substantiam propriam potest juxta hos auctores habere simul aliâ propriam. Quod idem est de materia completa per unam formam, ergo & natura completa substantialiter per unam substantiam poterit adhuc compleri per aliam. Distinguo itaque antecedens, implicat ultimum reduplicativè, seu quâ ultimum ulterius compleri, concedo antecedens, specificativè nego, ut exemplis jam positis monstratum est. Verum est quidem quando natura est completa ultimum per aliquam formam, non posse dari aliam quæ connaturaliter petat hac stante illam informare, sic enim esset completa ultimum, & non esset.

Objicies quintò: posito quod natura humana terminaretur simul propria substantia & divina, hic
homo

Obicitur homo non significaret suppositum Divinum, sed humanum tanquam magis connaturale: sicut si in Eu-
Hic Homo charistia maneret substantia panis, particula hoc il-
significaret lam demonstraret, non corpus Christi, ut docent
suppositum Theologi, quia substantia panis est accidentibus illis
humanum. connaturalis.

XI. Resp. concedendo in eo casu verba *hic homo* in
Respond. maximè proprio sensu non. significatura suppositum
Hic Homo divinum, sed humanum, utpote quod humanitati
tunc prima maximè est connaturale. Addo tamen cum *Homo*,
rio significa- saltem secundariò significet quodvis suppositum in
ret suppositum naturà humanà, posse *hic homo* secundariò significare
nam huma- suppositum Divinum ut unitum naturæ humanæ:
nam, secun- verè enim in eo casu Verbum non minùs esset ho-
dum Divi- mo, quam modò. Unde hæc & similes propositiones
nium. tunc essent veræ *Hic homo est Deus. hic homo creavit ca-*
los &c. si *hic homo* sumatur: cum aliqua reduplica-
tione, nempe in secundarià acceptione, ut scilicet
significat suppositum Divinum unitum naturæ hu-
manæ.

SECTIO VIII.

*Virum substantia creata uniri hypostaticè
possit alteri naturæ.*

I. *Statu* *questionis.* Quod aliis verbis proponi à nonnullis solet, ut-
trum substantia creata possit alienam naturam
terminare, eique effectum suum formalem tribue-
re? supponimus autem pro præsentì substantiam non
esse modum, sed rem absolutam. Quid verò dicen-
dum sit, si sit modus, dicetur postea.

II. *1. Sent. ne-* *gat posse* *substantia* *creatam* *uniri alteri* *naturæ.* Prima sententia negat posse substantiam creatam
terminare alienam naturam: ita Card. Lugo d. 12. de
Incarn. sect. 7. n. 88. Durandus in 3. d. 1. q. 5. Valen-
tia 3. p. d. 1. q. 3. p. 5. §. *si priori.* de personis, seu substi-
tentiis, quæ de facto sunt creatæ, licet §. *si autem.*
concedat possibilem esse substantiam creatam, quæ
terminet alienam naturam. Valquez 3. p. d. 25. ca. 2.
n. 12. & c. 3. per totum. Ratio unica est quod non de-
tur in rebus creatis huiusmodi lata obedientialis po-
tentia passiva, ut vel natura creata in se recipiat alic-
nam substantiam creatam, vel hæc eam termi-
net.

III. *Potest substi-* *ficientia crea-* *ta termina-* *re alienam* *naturam.* Prima Conclusio: probabilis existimo posse sub-
stantiam creatam terminare alienam naturam, ei-
que effectum suum primarium tribuere. Ita Okamus
in 3. q. 1. dub. ultimo, & Nominales communiter, Al-
bertin. in Prædicam. substantiæ coroll. 7. Valentia ci-
tatus n. præcedente de substantiâ possibili, P. Hurt.
hic d. 11. f. 8. n. 102. P. Arra, hic d. 4. f. 13. n. 103. &
ex recentioribus non pauci.

IV. *Probatur à* *paritate a-* *lium re-* *rum.* Ratio est, si enim substantia creata non sit mo-
dus, nulla apparet implicantia cur communicari al-
teri naturæ non possit, id quæ non numero tantum,
ut est substantia Petri respectu naturæ Pauli, sed etiam
specie distinctæ. Conf. videmus alias res abso-
lutas posse naturaliter deservire diversis substantiis,
ut eandem quantitatem diversis formis substantia-
libus, idem etiam calor, qui fuit in ligno, postea est
in igne & sic de aliis: quidni ergo idem contingere
possit in substantiis, supernaturaliter.

V. *Natura* *humana ha-* *bet capaci-* *tatem ad* *unionem* *hypostaticam* *creatæ ad* *substantiam* *angelicam.* Secundo probatur: major est improprio inter
naturam humanam & unionem hypostaticam, quam
inter eandem naturam humanam & substantiam
Angelicam, ergo si in naturà humanà, ut omnes fa-
teri debent, sit potentia obedientialis ad unionem
hypostaticam, à fortiori erit ab substantiâ crea-
tam, Conf. ex potentia obedientiali passivâ animæ
ad unionem hypostaticam colligunt Theologi po-
tentiam & capacitatem in formâ cadaveris, & aliis

formis materialibus ad eandem, quidni ergo simi-
liter ex potentia in eadem animâ ad hanc unionem
licebit colligere potentiam ad habendum divinitus
alias substantias?

Nec etiam ex parte substantiæ creatæ est repu-
gnantia, cum non arguat nimiam in eâ perfectionem,
quod sustenter alienam naturam: primo, quia susten-
tare hic non est aliud, quàm terminare. Deinde quia
hoc facit virtute Divinâ, sicut corpus eadem virtute
poni potest in duobus locis. In Verbo autem arguit
perfectionem posse terminare naturas creatas, quod
id præster naturaliter, ac proinde sicut arguit per-
fectionem in Deo posse naturaliter supplere defectus
causarum creaturarum efficientium, ita & posse eodem
modo supplere creatas substantias. Et per hoc solvi-
tur præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ,
quod deducebatur ex nimia perfectione, quæ foret
in substantiâ creatâ, si elevari posset ad alienam na-
turam terminandam.

Dices; nullum sequitur bonum universo, sed po-
tius confusio ex eo quod concedatur substantiis
creatis posse terminare alienas naturas. Resp. in iis
quæ purè sunt per potentiam obedientialium, nul-
lam expectandam esse peculiarem utilitatem univer-
si, sed sufficere ostensionem virtutis Divinæ, ut con-
stat in mille exemplis. Quæ enim utilitas universo
quod natura creata simul terminari possit pluribus
substantiis propriis; quod calor & frigus ut octo
possint simul esse in eodem subjecto; quod penetra-
ri possint corpora inter se &c. quæ tamen negari
nequeunt omnipotentia Divinæ. Tollitur autem om-
nis confusio per hoc quod horum exequutio subfit
infinitas sapientiæ Dei.

Secunda Conclusio: licet substantia creata esset
modus, adhuc probabile mihi videtur posse (retentâ
immediatâ affectione proprii subjecti) per unionem
à se distinctam uniri alteri naturæ, eique suum effe-
ctum formalem communicare: ita Valquez 3. p. d.
25. c. 2. & probile censet P. Hurt. hic d. 11. f. 8. num.
100. & P. Arr. hic d. 4. f. 13. n. 103. contra P. Oviedo
hic cont. 6. p. 5. n. 3.

Ratio est quia in hoc nihil sit contra essentiam
modi, qui solum petit proprio subjecto uniri imme-
diatè, quia scilicet respectu illius tantum est modus,
unde alteri unitur non ut modus, sed ut res absolu-
ta. Conf. ubicatio, ut ostendi d. 34. Phy. sect. 3. licet
immediatè afficiat spatium, corpori tamen, & omni
rei ubicatæ unitur per unionem distinctam, quia sci-
licet non est modus respectu rerum, sed tantum re-
spectu spatij. Conf. secundò, uniones continuativæ
quantitatis, vel albedinis, licet afficiant immediatè
partes quantitatis, vel albedinis, quas inter se uniunt
continuativè, materiæ tamen uniuntur per unionem
distinctam, non minùs quàm reliquæ partes albedi-
nis, quia uniuntur respectu partium, quas continuant,
sicut modi, respectu verè subjecti informationis,
nempe materiæ, non sunt modi, sed accidentia ab-
soluta. Ergo & substantia licet respectu suæ naturæ
sit modus, cui proinde uniri nequit per aliam unio-
nem, respectu tamen aliæ naturæ, cum non sit mo-
dus, potest ei uniri per unionem distinctam.

Dices; ergo & unio respectu extremi, cuius non
est modus, uniri poterit per aliam unionem. Resp.
negando consequentiam de unionem ejusdem ratio-
nis nec enim magis potest una unio per aliam ejus-
dem rationis uniri, quàm una albedo per aliam deal-
bati. At verò quod substantia uniatur nulli in se-
quitur inconveniens, cum non recipiat eandem de-
nominationem, sed diversam: ut verò servetur pari-
tas, substantia non magis potest reddi subsistens
per aliam substantiam, quàm una unio per aliam
uniri, in hoc enim eadem est de utrisque ratio. Se-
cundò

VI. *Non est ni-* *mia perfe-* *ctio in sub-* *stantiâ* *creata posse* *terminare* *alienam* *naturam.*

VII. *In iis, quæ* *supra na-* *turam sunt,* *non expe-* *ctatur sem-* *per peculiari-* *us utilitas.*

VIII. *Licet esset* *modus, pos-* *set termi-* *nare alie-* *nam natu-* *ram.*

IX. *Ratio est,* *quia respec-* *tus aliæ* *naturæ non* *est modus.*

Declaratur *exemplo* *unionem* *humani & s.*

X. *Dices, ergo* *unio poterit* *aliâ unione* *uniri.*

Resp. aliâ *homogeneâ* *non posse* *hic re-* *roganda.*

cundò dico, unionem posse sub aliquâ ratione aliâ unionem uniri, ut jam num. præcedente ostendi in unionibus continuativis, & postea probabo sectione decimâ.

SECTIO I

De substantiâ compositi.

I. **D**isputari plerumque solet hæc quæstio in Physicis, dum de materiâ & formâ, nos tamen huc eam remisimus, tanquam ad locum magis proprium, ut omnia, quæ ad substantiam spectant, si mul expedirentur, tum quod nisi explicatâ naturâ substantiæ, quæstio hæc commodè intelligi non possit.

II. Varij de more hac in re sunt dicendi modi. Afferunt aliqui animam rationalem, etiam in corpore habere propriam substantiam, formas verò materiales non habere, nec etiam materiam, quod à formâ dependeat. Ita P. Molina 1. p. q. 29. a. 1. d. 3. §. Ex dictis, & Cajet. 3. p. q. 6. a. 3.

III. P. Suarez d. 34. Met. sect. 5. licet materiam & animam rationalem subsistere affirmet, numero tamen 42. asserit formas materiales nullam habere substantiam, ne quidem partialem, eò quod dependeat à materiâ, tanquam à subiecto materialiter in eas influente, citatque in hanc rem S. Augustin. lib. de Ecclesiast. dogmatibus c. 16. & 17. tom. 3. dicentem *solum hominis animam esse substantivam, animas verò brutorum non esse substantivas*. Numero tamen 43. ait ex parte formarum materialium esse modum quandam, qui unâ cum substantiâ materiæ concurrat ad componendam integram substantiam totius.

IV. Tertiò, docent alij tam materiam, quam formam subsistere, non tamen per substantias partiales, quarum quæque suam habeat sibi propriam, sed per unam totalem substantialiter, ut ita dicam, indivisibilem, divisibilem tamen integraliter. Ita Vasquez 3. p. 101. l. d. 32. c. 4. n. 19. & 1. p. d. 125. c. 4. n. 17. & d. 174. n. 15. Quam etiam sententiam sequi videtur P. Arriaga hic d. 4. §. 9. n. 69. & alij nonnulli.

V. Quarta demum sententia est materiam & formam in composito non habere unicam totalem substantiam modo dicto indivisibilem, utrique communem, sed singulas habere partiales substantias, sibi proprias, quæ in unam integram ex his tanquam ex partibus constent, ita P. Hurt. d. 2. Phys. l. 7. n. 100. P. Oviedo hic cont. 6. p. 4. n. 13. estque communior inter recentiores opinio.

VI. Prima conclusio: materia prima, & anima rationalis, etiam dum actu constituunt compositum, subsistunt. Hanc conclusionem negant qui pro primâ sententia num. 2. sunt relati, reliquarum tamen sententiarum auctores admittunt. Probatur: nihil enim obstat quo minus subsistant, utraque enim à se invicem est independens, & Ens per se, etiam dum actu unum totum constituunt, ergo tunc etiam possunt, subsistere. Unde falsum est, quod in primâ sententiâ asserbatur, materiam scilicet pendere à formâ, est enim ab eâ planè independens, ut in Physicis ostendi, dum de naturâ materiæ.

VII. Secunda Conclusio: etiam forma materialis in composito subsistit. Ratio est, quia substantia est passio & proprietâs substantiæ, sicut inherencia accidentis, cum ergo formæ materiales verè sint substantiæ, æquè debetur ipsis connaturaliter substantia, ac inherencia debetur accidenti. Deinde, effectus formalis substantiæ non est reddere terminum, quem afficit, independentem à subiecto sustentationis, sic enim idem esset effectus formalis substantiæ & creationis, quod nullus dicit. Videantur dicta su-

prâ sect. quarta, numer. secundo, ubi plura in hanc rem adduxi.

Nec obstat quod num. tertio ex S. Augustino ad hoc probandum est allatum, ubi, ut vidimus, ait S. Doctor *Animas brutorum non esse substantivas*, idè e-
nim ait eas non esse substantivas, non quod verè non sint substantiæ, & consequenter habeant substantiam, passionem, ut dixi, omni substantiæ naturaliter debitam, sed eas asserit non esse substantivas quòd cum insint subiecto sustentationis, imitentur hac in parte accidentia, & alteri hoc sensu quasi adjaceant, sicque hoc nomine adjectivæ potius videantur quam substantiæ, licet ut dixi certum sit eas esse substantias: ac proinde habere debent substantiam, quæ est proprietas substantiæ.

IX. Tertia Conclusio: substantia compositi sive una sit, & indivisibilis substantialiter & specificè, sive duplex, est tamen divisibilis integraliter. In hac conclusionem omnes sententiæ relatæ conveniunt: licet enim P. Vasquez 3. p. tom. 1. d. 32. c. 4. num. 21. nolet partes illas, ex quibus quævis substantia componitur, vocari partiales substantias, concedit tamen esse partes integrantes, sicque substantia illa totalis, quam, ut numer. quarto vidimus, statuit ipse in composito, non est juxta ipsum integraliter indivisibilis.

X. Quarta Conclusio: probabilis mihi videtur cum auctoribus quartæ sententiæ supra num. 5. proposita, substantiam cujusvis compositi substantialis esse substantialiter duplicem, & habere duas partiales substantias, ex quibus una totalis substantia componitur.

XI. Probatur primò, nam substantiæ compositæ magis congruit substantia composita quam simplex, utpote magis ei proportionata. Secundo, convenientius naturis rerum est talem ordinem institui, ut materia, quæ est substantia permanens, habeat substantiam substantiam stabilem ac permanentem, quæ non semper formæ mutetur, ut contingit in contrariâ sententiâ, si enim una sit indivisibilis substantia materiæ & formæ, quoties per se forma aliqua materialis, quod frequenti simè, ut videmus, contingit, toties deberet perire substantia materiæ, utpote eadem cum substantiâ formæ, hæc autem, pereunte formâ, unâ cum illâ necessariò destruitur.

XII. Tertiò probatur, prius materia debet esse completa intrinsecè, seu habere omnem perfectionem sibi ab intrinsecò debitam (qualis est substantia, utpote quam per emanationem, ut ipsi adversarii tatenur produci) quam quidquam recipiat ab extrinsecò: in contrariâ autem sententiâ prius acciperet formam ab extrinsecò, quam habeat substantiam: cum enim juxta hos auctores, substantia sit eadem materiæ & formæ, forma materialis debet prius esse, sicque inesse materiæ, quam materia habeat substantiam: unde in tertio tantum signo habet substantiam, cum habeat formam in secundo. Conf. substantia juxta communem philosophorum sententiam est conditio prærequisita ad agendum & producendum aliud præter ipsam substantiam, ut optimè probat Card. Lugo d. 3. de Incar. sect. 1. n. 7. ergo antequam materia agat, & quidquam aliud producat, debet habere substantiam.

XIII. Hæc, fateor, non convincunt, sed in re dubiâ, & ubi agendum est conjecturis, majorem meo iudicio vim habent ad probandum substantias partiales, quam quæ à contrariis opinantibus afferuntur ad probandum totalem.

XIV. Dices cum P. Arriaga hic d. 4. sect. 9. numer. 66. *Non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate*, sed nulla est necessitas ut materia habeat propriam substantiam distinctam ab existentia formæ cum duæ partes

VIII. Quosensu
dixit Aug.
Animas
brutorum
non esse sub-
stantivas.

X. Substantia
compositi
constatur
ex duabus
partialibus.

XI.

XII. Conveniens est, ut substantia permanens sit substantia stabilem ac permanentem, quæ non semper formæ mutetur, ut contingit in contrariâ sententiâ, si enim una sit indivisibilis substantia materiæ & formæ, quoties per se forma aliqua materialis, quod frequenti simè, ut videmus, contingit, toties deberet perire substantia materiæ, utpote eadem cum substantiâ formæ, hæc autem, pereunte formâ, unâ cum illâ necessariò destruitur.

XIII. Prius debet materia esse completa intrinsecè, quam quidquam recipiat ab extrinsecò.

XIV. Hæc probabilem reddunt hanc sententiam.

Dices, non sunt multiplicandae perfectiones sine necessitate, ergo non est cur talis perfectio substantiae tribuatur, ut eadem sit terminus intrinsecus, & complementum materiae simul & formae, cum per duas partiales; ut vidimus, id fieri commodè possit.

XV. Resp. itaque distinguendo maiorem, non sunt multiplicandae entitates sine necessitate simpliciter, nego maiorem; sine necessitate secundum quid, seu ob maiorem congruitatem, & convenientiam, concedo. Congruitas verò & convenientias huius rei supra adduximus in probatione nostrae sententiae n. 11. & 12. sicut ex. gr. nulla est necessitas simpliciter, cur non possit eadem entitas esse ubicatio & duratio, vel actio & ubicatio, ut multi de facto esse affirmant, & tamen id ab huius sententiae auctoribus non admittitur.

XVI. Dices secundò cum eodem: substantia Verbi unica complet substantialem, & perficit totam humanitatem, & animam scilicet & corpus, ergo idem fieri potest ab eadem substantia creatà. Resp. non negare me id fieri posse, sicut & eadem entitas potest esse ubicatio, & actio, nego tamen de facto rem ita se habere, cum contrarium naturis rerum longè sit congruentius, ut jam ostensum est. Verbum ergo per suam infinitam virtualitatem supplet vices utriusque substantiae partialis creatae.

SECTIO X.

An unio etiam inter animam & corpus habeat propriam substantiam.

I. Prima sententia est negativa: ita P. Hurt. d. 2. Phy. f. 7. n. 115. ubi absolute negat unionem inter materiam & formam, vel in homine, vel in alio quocunque composito substantiali habere propriam substantiam.

II. Secunda sententia è contrà affirmat unionem etiam inter materiam & formam in quovis composito substantiali habere propriam substantiam. Ita P. Suarez tom. 1. in 3. p. d. 17. sect. 5. §. secundo modo, quamvis (quod mirum est) non clare loquatur. P. Arriaga hic d. 4. sect. 10. num. 76. & 77. P. Oviedo hic cont. 6. p. 4. num. 14. Hanc etiam sententiam tenet Card. Lugo d. 12. de Incar. sect. 5. num. 61. licet enim nolit dari in composito substantiali plures partiales substantias, sed unicam totalem, ait tamen hanc immediatè terminare, non materiam tantum & formam, sed etiam unionem, ergo unio juxta ipsum habet etiam substantiam, licet indistinctam à substantiâ partium.

III. Conclusio: existimo cum authoribus secundae sententiae unionem inter materiam & formam habere substantiam ad se terminatam, quā non minùs subsistit, quā materia & forma. Unde dis. 10. de Incar. f. 4. ostendi unionem inter animam & corpus de facto fuisse à Verbo assumptam.

IV. Ratio est, quia cum sit quid per se spectans ad constitutionem naturae substantialis, & substantia, non est, cur quis ei neget propriam substantiam partialem, & consequenter cur non possit hæc suppleri à Verbo, sicut possunt substantiae partiales materiae & formae. Deinde, substantia est ultimus terminus & complementum naturae, unionem autem non esse secludendam à ratione naturae ostendimus in Phy. d. 16. f. 1. n. 4. ex definitione naturae ab Aristotele traditae.

Nec obstat quod opponunt aliqui, unionem scilicet non posse per aliam unionem uniri, ne sequatur processus in infinitum, hoc enim inconveniens tunc

solum sequitur, quando unitur per unionem ejusdem rationis, idque ex naturali exigentiā, ut si unio informationis egeat aliā unionem informationis, per quam uniatur, non verò quando unitur per unionem diversae rationis. Sic omnes concedunt puncta continuativa a ledinis, & formae substantialis materialis uniri materiae per unionem informationis ut dixi sect. 8. n. 9.

Dices, si unio inter animam & corpus habeat propriam substantiam; ergo & unio quā hæc unio unitur Verbo, cum sit substantialis, habebit propriam substantiam, ergo hæc substantia uniri illi unioni debet per aliam unionem, hæc verò etiam similiter habebit suam substantiam, & hæc iterum suam unionem, sicque in unionibus & substantiis procedetur in infinitum.

Resp. negando primam consequentiam: sicut enim actio, quā producit ubicatio, & unio quā in nostrā sententiā (qui ubicationem dicimus non esse modum) unitur rei ubicate, non sunt in loco per aliam ubicationem, sed seipsis, imò propriè non sunt in loco ut quod sed ut quo: ita unio hypostatica, quā subsistit per unio inter animam & corpus unitur Verbo, cum non subsistat ut quod sed ut quo, & integret quasi simul cum Personalitate Verbi unam substantiam completam in actu secundò, seu unum terminum substantialem naturae humanae, sicut inherencia cum accidente non eget aliā substantiā, magis quam unio ubicationis alia ubicatione: sicque, ut constat, nullus sequitur processus in infinitum.

Probatur secundò: Verbum de facto assumpsit unionem inter animam & corpus, ergo illi naturaliter debetur substantia: consequentia videtur clara: nihil enim assumitur à Verbo, nisi quod, si non fuisset assumptum, substituisset, ergo unio, si non fuisset assumpta à Verbo, substituisset, ergo habuisset substantiam.

Antecedens itaque probatur, Verbum assumpsit humanitatem, sed humanitas, quā talis non dicit solam materiam & animam rationalem, sed unionem, homo enim definitur physicè compositum constans ex animā & corpore & unionem, ergo hoc totum assumi debuit, sed hoc intrinsecè & formaliter includit unionem, ergo etiam unio assumi debuit. Conf. alioqui sequeretur in resurrectione Verbum factum esse hominem per solam reunionem animae & corporis inter se.

Dices, materia & anima unitae sunt homo, seu humana natura, ergo si Verbum assumpsit materiam & animam unitas, assumpsit humanitatem. Contrà, assumpsit materiam & animam unitas, assumptum sunt homo, qui tamen produceret materiam & animam, & non produceret unionem, non produceret hominem, licet simul aliunde produceretur unio, vel esset etiam à se. Sic etiam Angelus, qui videret intuitivè parietem & albedinem, etiam dum hæc inheret parieti, si tamen non videret unionem informationis, seu inherentiam, non videtur totum, cum totum ultra ambas partes, etiam collectivè sumptas addat unionem.

Resp. itaque distinguendo primum antecedens, materia & anima unitae reduplicativè sumptae sunt homo, concedo antecedens; sic enim includunt unionem, specificativè sumptae, nego: sic enim, etiam dum uniuntur, non sunt homo, sed solum partes hominis, & consequenter qui eas hoc modo assumeret, non assumeret humanam naturam, ut proximè ostensum est exemplo productionis, & visionis, sed tantum assumeret illius partes, quae licet de facto uniantur, perinde tamen se habent ad assumptionem, atque si non unirentur.

Conf. humanitas, ut dixi, sunt à parte rei tres entitates,

processus in infinitum.

VI. Obiectio concedens dari hic processum in infinitum.

VII. Unio quā unio inter animam & corpus unitur Verbo, cum non se.

VIII. Unio inter animam & corpus assumpta à Verbo, ergo debetur ipsi propria substantia.

IX. Ostenditur unionem fuisse à Verbo assumptam.

X. Nisi Verbum assumpsisset unionem, non assumpsisset humanitatem.

XI. Nisi assumptae sunt partes ut uniatur, non assumitur totum.

XII.

Non assumitur res entitates, ergo non assumitur humanitas.

XIII. Quod semel assumptum sit, nunquam dimittitur. Certum est Verbum quendam dimisisse.

XIV. Quomodo intelligendum sit axioma illud, Quod semel assumptum sit, nunquam dimittitur.

XV. Uniones etiam continuativae habent suas subsistentias.

XVI. Subsistentia totius conflat ex tribus subsistentiis partialibus.

Vtrum haec tres subsistentiae inter se uniantur.

titates, materia, anima, & unio, sed qui assumit materiam & animam, quantumvis sint unitae, non assumit tres entitates, sed duas tantum, si una cum materia & forma non assumat unionem, ergo non assumit realiter humanitatem.

Obijcies: hinc sequi contra commune axioma Theologorum, Verbum, quod semel assumptum sit, aliquando dimisisse, hanc enim unionem dimisit. Contra, certum est Verbum dimisisse humanitatem in morte, & in triduo illo non fuisse hominem, ut contra Hugonem victorinum, & Magistru in 3. d. 22. docet S. Thomas, S. Bonav. & communis Theologorum sententia apud Suarez in 2. in 3. p. d. 37. f. 2. si ergo stante hoc axioma potuit Verbum dimittere humanitatem, quidni & unionem? per cuius dimissionem dimittitur humanitas, & hac resumpta resumitur. Certum etiam est Verbum dimisisse partes per nutritionem toto vitae tempore segregatas.

Axioma ergo illud solum intelligitur de partibus humanitatis, de anima quoad individuum, de materia saltem quoad speciem, non vero de toto, nec de unione, quae est forma totius: cum quoad aliquas uniones certum sit in passione & morte fuisse pro tempore, imò perpetuò dimissas, quales erant uniones continuativae partium carnis, quae divisae fuerant per vulnera toto corpore dispersa, ex quibus quinque perpetuò sunt permanens. Quae doctrina exinde confirmatur, quod axioma illud praecipue afferri solet ad probandum animam & corpus Christi in triduo, licet à se invicem disjungerentur, mansisse tamen eadem numero conjuncta Verbo.

Quod dixi de unione inter animam & corpus, intelligi etiam debet de unionibus continuativis partium materiae, habuisse scilicet suas subsistentias & fuisse assumptas a Verbo. Nec hinc sequitur dari infinitas uniones hypostaticas correspondentes infinitis punctis materiae, una enim unio hypostatica habens partes extensivas, eo modo quo habet materia, id abundè praestare poterit.

Subsistentia ergo potius, seu compositi substantialis conflatur ex tribus subsistentiis materiae, formae, & unionis. Quæres, an hæc tres subsistentiae inter se uniantur. Resp. dici probabiliter posse non uniri eas inter se immediatè. Nec tamen hinc sequitur eas facere aggregatum per accidens: ad vitandum enim aggregatum per accidens sufficit immediatè coordinatio intrinseca rerum ad se invicem, licet enim non uniantur sibi immediatè, conjunguntur tamen mediatè, per partes scilicet intermediarias. Secundo dici potest, subsistentias materiae & formae uniri inter se per subsistentiam unionis. Unde sicut unio ipsa conjungit partes ut modus partium, ita subsistentia unionis conjungere poterit subsistentias ut modus subsistentiarum.

SECTIO XI.

Vtrum vel natura creata existere possit sine omni subsistentia, vel etiam subsistentia sine natura.

I. Natura non potest naturaliter orbi omni subsistentia.

II. Dicunt multi naturam, nec divinitus

Quoad primum utrum scilicet existere natura possit sine omni subsistentia: naturaliter non posse indubitatum est apud omnes, cum sit proprietatis naturalis illius, ac proinde sicut sol existere naturaliter non potest sine luce, ignis sine calore, materia sine quantitate &c. ita nec natura sine subsistentia.

Utrum autem divinitus existere natura possit sine omni subsistentia, non est apud omnes perinde certum. Prima ergo sententia negat posse naturam, etiam divinitus, existere separatam ab omni subsistentia.

Ita Scotus in 3. d. 1. Fonseca l. 5. Met. c. 3. q. 6. f. 5. citans pro eadem sententia S. Thom. in 3. d. 5. q. 3. a. 3. ad 3. qui tamen huic sententiae non favet, solum enim dicit, si humanitas dimitteretur a Verbo, fore, ut subsistat per propriam subsistentiam, sed hoc solum contingeret, naturaliter loquendo, quid autem divinitus fieri possit non disputat ibi sanctus Doctor. Idem tenet Suarez d. 34. Met. f. 6. n. 37. & quidam ex recentioribus.

Secunda sententia è contrario docet posse naturam divinitus existere sine omni subsistentia. Ita Car. Lugo d. 12. de Incarn. l. 7. n. 93. Albert. de prædic. substantiæ d. 3. q. 4. P. Hart. hic d. 1. f. 9. 123. P. Arr. hic d. 4. f. 13. n. 135. P. Oviedo hic cont. 6. p. 6. n. 2. & communis recentiorum opinio.

Dicendum itaque cum auctoribus hujus sententiae posse naturam divinitus existere orbatam omni subsistentia. Ratio est, quia effectus formalis subsistentiae solum est, ut sit ultimus terminus & complementum naturae, quidni ergo sicut possunt res aliae orbi divinitus perfectionibus suis, & complementis intrinsecis, ut materia omni forma, sol luce, substantia accidentibus &c. quidni inquam orbi divinitus poterit natura sua subsistentia? Imò probabilius existimo naturam sine omni subsistentia divinitus existentem conservari simili, imò eadem actione posse, quā antea conservabatur, sicut in Phy. d. 10. f. 3. diximus de actione conservativa materiae primae sine omni forma.

Dices primò: naturam fundare subsistentiam, ergo non potest esse sine illa. Contra, sol fundat lucem, materia quantitatem &c. & tamen separari divinitus potest, hæc à quantitate, ille à luce: si autem velint naturam ita fundare subsistentiam, ut nec divinitus esse possit sine illa, aperte petunt principium, hoc enim est in questione.

Dices secundò: non potest res aliqua esse sine omni ubicatione & duratione, ergo nec natura sine subsistentia, Conf. quantitas non potest esse sine figura, ergo &c. Ad argumentum concessio antecedente negatur consequentia: disparitas est, quia cum spatium imaginarium sit in immensum diffusum, & tempus etiam imaginarium ambiat omnes durationes, manifestum videtur nihil posse existere, & non in aliquo loco & tempore, & consequenter quin habeat aliquam ubicationem & durationem, ut late ostensum est in physicis d. 33. f. 5. & sexta. At verò nulla hujusmodi necessitas est subsistentiae, ergo poterit divinitus carere, hac non illis. Ad confirmationem Resp. negando antecedens, si sermo sit de divina potentia, potest enim quantitas divinitus reduci ad punctum, in quo casu secundum probabilem sententiam, nullam haberet figuram, saltem divinitus tunc ea privari posset.

Dices tertio: quando à re aliqua tollitur modus connaturalis existendi, confertur ipsi necessaridè oppositus, ut si ab accidente auferatur inhærentia, seueductio ex potentia subjecti, datur ipsi creatio: sic cum aufertur Ubi circumscriptivum datur definitivum: sic ergo quando à natura tollitur propria subsistentia, dari ei necessaridè debet aliena. Resp. In his id necessaridè contingere, in secundo ob rationem dictam in responsione ad priorem objectionem: in primo quia cum res omnis sit Ens ab alio, debet necessaridè dependere à Deo per aliquam actionem, si ergo non dependeat per generationem, dependere necessaridè debet per creationem. In subsistentia autem nulla hujusmodi est necessitas, quippe quæ ordinatur solum, ut sit ultimus terminus, & complementum naturae: unde sicut divinitus auferri potest calor ab igne, vel frigus ab aqua, quin detur aut calor huic, aut frigus illi, ita & subsistentia auferri potest à na-

III. Alij dicunt posse.

IV. Natura conservari divinitus potest sine omni subsistentia.

V. Nec obstat quod natura fundat subsistentiam.

VI. Licet res privari queat omni ubicatione potest tamen privari subsistentia.

Quantitas privari potest figura.

VII. Quando tollitur modus connaturalis, non necessaridè datur oppositus.

Inherentia
non est mo-
dus oppositus
subsistentia.

à naturâ, quin ei quidquam aliud tribuatur, præfer-
tim cum subsistentia modum sibi oppositum non
habeat; quod enim aliqui volunt inherentiam, seu
dependentiam à subiecto sustentationis esse ipsi op-
positam, falsum est, nec enim effectus formalis sub-
sistentiæ est reddere rem independentem à subiecto,
ut supra ostendimus s. 4. n. 2. cum forma materialis,
etiam in subiecto subsistat, sicut etiam Theologi di-
cunt formam sanguinis, capillorum, & unguium in
corpore Christi terminari subsistentiâ Verbi.

VII.

Subsistentia,
si non sit mo-
dus, potest
divinitus
existere sine
naturâ.

Quoad secundum, utrum scilicet existere vicissim
possit subsistentia creata sine natura: In sententiâ
statuente illam esse modum, certum est non posse ut
sepius jam dictum est, dum de naturâ modorum. Si
autem sit quid absolutum, ut videtur probabilius,
tunc nil vetat, quod minus existat subsistentia sine
naturâ; sicut forma substantialis materialis existere
posset sine subiecto, & de facto ita existunt acciden-
tia Eucharistica.

SECTIO XII.

Reliqua ad subsistentia notitiam spectantia.

I.
Operationes
denominantur
tribuitur
suppositis.

Quæres primò, utrum subsistentia sit principium
operationum? In primis deo nominativè opera-
tiones tribui suppositis est certum, hinc enim ortum
habuit dictum illud, *actiones sunt suppositorum*, sicut
enim operationes vel accidentia alterius partis tri-
buuntur toti composito, unde dicitur albus quis ab
albedine in solâ materiâ, intelligens ab intellectu-
ne in solâ animâ &c. ita & à quocunque procedunt
actiones, tribuuntur suppositis: cum enim hæc om-
nia concurrant ad constituendum unum totum,
quod alteri parti propriè convenit tribuitur deno-
minativè toti.

II.

Subsistentia
creata, nec
partialiter
existit in
operatione.

Existit ergo subsistentia non esse principium
influentis, nec partialiter in operationes. Ratio est,
quia non est cur quicquam existimet subsistentiam
partialiter influere, qui sufficit ut sit conditio, sicut
nec influit approximatio, ut cum communi senten-
tiâ dixi in phisicis: sufficiens enim virtus influxiva
habetur sine subsistentiâ influente, nempe in ipsâ
naturâ quæ per se est principium motus & quietis.
Deinde, eodem modo natura nostra producit suas
operationes, ac humanitas Christi suas, sed humani-
tas Christi producit suas sine peculiari concursu ef-
fectivo subsistentiæ Verbi, operationes enim ad extra
sunt communes omnibus tribus Personis, & con-
sequenter procedunt à principio omnibus communi,
nempe omnipotentia non à personalitatibus, ergo
nos nostras etiam operationes producimus indepen-
denter ab influxu subsistentiæ. Quod autem in Di-
vinis subsistentiæ constituent principium partiale
productivum ad intra, est quia principium producti-
vum debet saltem inadæquate distingui à termino
producto, ut supra animaverimus s. 4. n. 6.

III.

Subsistentia,
an conditio
ad opera-
tionem.

Quæres secundò, utrum saltem subsistentia sit
conditio ad operandum? dici non improbabiler
potest esse conditionem à priori aliquo modo re-
quisitam ad operationes; cum enim sit complemen-
tum substantiale videtur aliqua ratione requiri prius
omni operatione, saltem prioritate dignitatis & nec-
essitatis, ut supra etiam notavi s. 4. n. 12.

IV.

Sine subsi-
stentia mo-
dus.

Quæres tertio, sitne subsistentia creata res, an mo-
dus? divi: hæc in parte sunt auctores. P. Suar. d. 34.
Met. l. 4. n. 33. P. Vasq. 3. p. d. 31. c. 6. Card. Lugo d. 12.
de Incarn. c. 7. n. 83. cum multis alijs recentioribus
contendunt esse modum. P. Hurt. hic d. 11. l. 5. n. 50.
P. Arria. hic d. 4. l. 12. n. 93. & alij esse rem absolutam.

V.

Certè nulla apparet urgens ratio cur statuatur
modus, nec enim est ulla ratione determinatio unius
R. P. Th. Comptoni philosophi.

aliud, nec sequitur processus in infinitum si ponatur
res absoluta, nec tandem necessarium est ad gravem
aliquam difficultatem vitandam, ut statuatur esse
modus: unde licet absolute non repugnet ut subsi-
stentia sit modus, probabilius tamen videtur non
esse, cum solum ex urgente aliqua ratione statui
debeat modi, ut omnes fateantur.

Dices primò; sequi processum in infinitum, unio
enim subsistentiæ est substantia, ergo debet habere
suam etiam subsistentiam, quæ cum sit res absoluta,
uniri debet per aliam unionem, & illa iterum habe-
bit suam subsistentiam & sic in infinitum. Hoc ar-
gumentum solutum est supra s. 4. n. 6. & 7. Resp.
ergo, sicut actio quæ producitur ubicatio est sua ubi-
catio, ita & unio subsistentiæ poterit esse sua sub-
sistentia. Secundò, dico unionem illam integrare
unum ultimum terminum naturæ cum subsistentiâ,
& consequenter non egere novâ subsistentiâ, cum
sit pars ipsius subsistentiæ.

Dices secundò; si subsistentia sit quid absolutum
est substantia non accidens, ergo includi debet in
divisione substantiæ ab Aristotele traditæ, sed non
includitur, dividit enim ipse substantiam in mate-
riam, formam & unionem, nullam faciendo men-
tionem de subsistentia, ergo subsistentia non est sub-
stantia. Resp. nil mirum Aristotelem nullam fecisse
mentionem subsistentiæ, cum eam non noverit, est ta-
men subsistentia aliquo modo forma, non composi-
ti, seu forma substantialis, eo sensu quo capimus for-
mam substantialem in Phisicis, illa enim est prima
radix operationum, & constituit compositum, sub-
sistentia autem non influit in operationes, nec con-
stituit compositum, sed advenit ipsi jam constituto.
Est ergo subsistentia forma suppositi non composi-
ti. Deinde, si sit modus eadem videtur difficultas,
modi enim in divisione illâ debent comprehendi,
saltem reductivè, sicut comprehenditur unio.

Quæres quartò, quæ sit causa subsistentiæ? Resp.
causam materialem esse naturam in quâ est, & ex cu-
jus potentia educitur, qui enim diceret subsistentiâ causâ mate-
riali, gratis id diceret, & eadem operâ affirmari
posset accidentia omnia & formas creari. Difficultas
quæ hinc oriri posset ex eo quod natura existere
nequeat sine subsistentiâ, nulla est, sic enim nec ma-
teria potest existere sine formâ & tamen eam mate-
rialiter producit. Unde si subsistentia tolleretur ad-
huc natura persisteret, ut dictum est s. 4. præcedent.
n. 4. sicut materia maneret, licet spoliaretur omni
formâ, ut ostendi in Phisicis d. 10. s. 2. & 3.

Quoad causam efficientem mihi videtur proba-
bile produci subsistentiam emanativè ab ipsâ re, cu-
jus est subsistentia: licet enim ad alias operationes
requiratur subsistentia secundum illud *actiones sunt suppositorum*, non tamen ad productionem ipsius sub-
sistentiæ. Quemadmodum ergo res aliæ per emana-
tionem producant suas proprietates & passiones, ita
quidni natura similiter produceret suas? sicut multi
dicunt, licet ut res aliqua operetur, debeat esse in lo-
co, non tamen ut producat suam ubicationem, sic
enim prius esset in loco quàm esset in loco, cum sit
in loco formaliter per ubicationem.

Unde hoc docet D. Tho. 3. p. q. 16. a. 2. corp. & ad
primum, Suar. d. 34. Met. l. 6. n. 9. & tom. 1. in 3. p. 8.
1. 3. P. Hurt. hic d. 11. l. 9. n. 120. P. Oviedo hic cont. 6.
p. 6. n. 19. & alij. Non tamen potest anima producere
unionem sui ad corpus, tum quia nulla forma ope-
rari potest in corpus nisi ut illud informans, sicque
supponens unionem: tum quia est aliquid peculia-
re de passionibus, unio autem non est passio animæ,
sicut est subsistentia.

Quæres quintò, quænam res possint terminari
subsistentiâ alienâ divinitus? Resp. illas omnes &
Ecc

VI.

Ex eo quod
subsistentia
non sit mo-
dus, non se-
quitur pro-
cessus in infi-
nitum.

VII.

Quomodo
subsistentia
sit substantia

Subsistentia
suppositi, non
compositi.

VIII.

Natura est
causa mate-
rialis subsi-
stentie.

IX.

Causa effi-
cientis subsi-
stentie est res
ad quam
spectat.

X.

Cur anima
non producat
unionem
sui ad cor-
pus.

XI.

Qua ter-
minari pos-
sent aliena
subsistentia.

Cur accide-
ntia assumi ne-
queat a
Verbo.

XII.

solas posse quæ habent propriam. Ratio à priori est, quia subsistentia aliena, Divina v.g. supplet locum naturalis, ergo illi solum rei uniri potest, quæ habet, vel habere naturaliter potest propriam. Materia ergo assumi potest à Verbo sicut & forma, Angelus etiam & corpus simplex, & composita omnia subsistentia, ut latius dici solet in materiâ de Incar. licet principia hinc desumantur. Accidens verò assumi non potest à Verbo, nec enim habet propriam subsistentiam, cujus vices, ut dixi, supplet subsistentia increata. Deinde, accidens non est natura, subsistentia autem est tantum ultimus terminus naturæ.

Quæres sextò, utrum subsistentia sit de essentia

hominis? Quæstio est de modo loquendi. Resp. itaque hominem dupliciter sumi, primò pro naturâ humanâ, seu humanitatē, quo modo sumitur in can-
tico SS. Ambrosij & Augustini illis verbis, Tu ad ministrandum suscipiurus hominem non horruisti virginis uterum. Hoc sensu certum est subsistentiam non esse de essentia hominis, quia Verbum non assumptit subsistentiam, sed solum naturam. Alio modo sumitur Homo, prout idem est ac natura subsistens, & hoc sensu, hujus nimirum complexi, seu suppositi reductivè sumpti, subsistentia est de essentia, sicut albo quâ albo essentialis est albedo.

DISPUTATIO IX.

De Pradicamento Quantitatis.

Quid sit
quantitas
continua.

Quid sit
quantitas
discreta.

Quantitas (ut omittam quantitatem molis, & virtutis, quàm alibi explicui) duplex est, Continua, & Discreta. Quantitas continua est, cujus partes ununtur termino aliquo communi, ut lineæ partēs ununtur puncto utrique parti communi, ut ait Aristoteles: superficies partes ununtur lineæ: corporis superficies: partes temporis instantæ. Discreta quantitas est, cujus partes termino aliquo communi non ununtur, ut numerus, & oratio vocalis, nec enim multitudo hominum, aut acervus lapidum, nec verba aut syllabæ in oratione terminantur aliquem communem habent quo uniantur. Quantitas ergo Continua sunt hæc quinque; linea, quæ habet solum longitudinem; superficies longitudinem & latitudinem; corpus, quod longitudinem, latitudinem, & profunditatem, tempus, quod est continuus fluxus & mensura durationis rerum; locus id in quo aliquid continetur. Discreta quantitas est numerus, & oratio, de quibus antea. Sed de hoc iterum recurret sermo sect. 4. hæc.

SECTIO PRIMA.

Referuntur & refutantur varia sententia circa effectum formalem Quantitatis.

I.
1. sent. est
effectum
quantitatis
consistere
in actuali ex-
tensione.

II.
2. sent. con-
ceptum
quantitatis
statui in
ratione
mensuræ.

Refellitur.

In hoc, ut in alijs omnibus, divisi sunt auctores. Asserunt aliqui effectum formalem Quantitatis consistere in actuali extensione & impenetrabilitate seu impenetratione. Hæc sententia sustineri nullo modo potest; Christus enim in Eucharistia retinet suam quantitatem, ubi tamen non habet actualem extensionem; ut constat, cum sit totus in totâ, & totus in qualibet parte hostiæ. Deinde, in Nativitate, & Resurrectione habuit quantitatem, cum tamen actu penetraretur cum alijs quantis; quod etiam contigit post resurrectionem, quando januis clavis ingressus est ad discipulos.

Secunda ergo sententia est eorum, qui asserunt conceptum & essentiam Quantitatis consistere in ratione mensuræ: mensura autem duplex est; activa, quæ facit rem aptam ut mensuret, seu quæ aliquid mensuramus; & passiva per quam res quam mensuramus, redditur mensurabilis seu cognoscibilis quantitate sit. Pro hac opinione referri solent Soncinas, Javellus, & alij. Sed contra primò: mensurabilitas, sive activa, sive passiva, est ad summum passio, seu proprietas Quantitatis, non essentia: idè enim res aliqua est mensurabilis, quia habet extensionem impenetrabilem, unde prior est actualis extensio & im-

penetrabilitas quàm mensurabilitas, & tamen essentia quantitatis est prior actuali extensione, ergo à fortiori est prior mensurabilitate, ergo mensurabilitas nequit esse quantitatis essentia.

Quod si quis per mensurabilitatem dicat se intelligere primam illius radicem, & mensurabilitatem remotam, tunc verum quidem dicit, sed malè per eam explicat essentiam Quantitatis; perinde enim facit ac si quis definit hominem esse animal risibile, & diceret se per risibile intelligere primam illius radicem, risibilitatem (scilicet remotam, nempe rationalitatem, hic enim veritatem conciperet, improprie loqueretur. Sicut ob eandem rationem in Physicis diximus potius asserendum subiectum attributionis Physicæ esse corpus naturale, quàm ens mobile, cum posterior definitio tradatur per proprietatem, non per essentiam.

Impugnatur secundò: nam eodem modo dicere quis posset, effectum formalem Quantitatis esse, ut possit dividere aliam rem quantitativam, hoc enim æquè convenit quantitati, ac posse mensurare, vel mensurari: si ergo idè hæc non censetur essentia, sive in quantitate, quia datur aliquid aliud prius illo, ergo nec ratio mensuræ activæ vel passivæ erit essentia quantitati. Consequenter eadem ratione dicere liceret effectum formalem albedinis esse, quod possit esse similis vel dissimilis alteri albedini, aut nigredini, quod tamen nullus censet esse effectum ejus primarium, sed secundarium solum, & illius attributum, & sic de alijs infinitis. Quod autem Aristoteles subinde videatur asserere effectum formalem Quantitatis esse rationem mensuræ, loquitur solum de effectu secundario, seu de attributo, non de primario, ut postea clarius constabit. Hæc autem à fortiori probant non consistere essentiam Quantitatis in actuali mensuratione, ut videtur per se manifestum, cum certum sit aliquid esse Quantitatem, quando nec mensuratur actu, nec assumitur pro mensura alterius.

Tertia sententia affirmat effectum formalem primarium Quantitatis esse dare distinctionem partibus materiæ. Hæc opinio est quorundam, tam ex antiquioribus quàm recentioribus, eam tenet Capreolus in 3. d. 3. q. 1. & d. 15. q. unica; eandem tenere videtur Vasq. To 3. in 3. part. d. 190. cap. 3. n. 25. Sed contra, si enim materia ulnaris statua lignea esset separata ab omni quantitate, idque in eadem extensione locali in qua modò est (quod quo minus divinitus fiat nulla apparet implicatio) certè in eo casu caput statuæ non esset pes, nec una pars ligni alia, nam si essent tunc partes illæ identificate, non possent omnino distingui, nec à se invicem dividi, ma-

*Materia ut
distincta à
quantitate
habet partes.*

gis quàm animal à rationali. Conf. materia informa-
ta quantitate habet jam partes realiter distinctas vel
non; si non, ergo nihil accipit à Quantitate, quod
non habet sine illa; deinde non posset dividi, quod
tamen est contra experientiam; si verò ut distincta à
quantitate habeat jam partes, ergo illas non accipit
formaliter à Quantitate, cum ab illa non accipiat
suam entitatem, & consequenter, cum prius ad Quan-
tatem habeat seipsam, prius etiam ad illam habet
partes realiter distinctas. Nec quidquam video, quod
magnopere faveat huic sententiæ præter æquivocos
quosdam loquendi modos, qui, ubi per distinctio-
nem in lucem eruantur, illic evanescunt. Nec est
cur pluribus hanc sententiam impugnemus, cum
contrarium ita videatur, vel ipso naturali lumine
manifestum, ut probatione non indigeat, nisi for-
tasse quaestio sit de nomine.

*VI.
4. sent. cõ-
cepit quan-
titate statu-
it in divisi-
bilitate.*

Quarto asserunt alij effectum formalem prima-
rium Quantitatis consistere in divisibilitate. Impu-
gnatur hæc sententia eodem modo quo aliqua ex
præcedentibus: non enim potest hæc divisibilitas ef-
fectus formalis primarius Quantitatis, sed ad
summum secundarius, cum supponat aliud prius se,
nempe impenetrabilitatem, si sermo sit de divisibili-
tate per agens corporeum, imò & extensionem, sal-
tem aptitudinalem. Conf. ratio divisibilitatis con-
venit aliis rebus à Quantitate, materia enim est di-
visibilis, sicut etiam omnes qualitates materiales, ut
albedo, nigredo, calor, frigus &c. Quod si quis di-
cat, esse hæc solum divisibilia secundario, & ratio-
ne Quantitatis, cui ratio ista præcipue competit, eod-
em modo dici debet divisibilitatem non esse essen-
tiam quantitatis formaliter, sed solum attributum,
cum non sit primus illius conceptus, sed secundarius
tantum, & quid ratione nostrâ consequens.

*VII.
Quo sensu
explicet A-
ristoteles
quantitatem
per divisibi-
litatem.*

Sicubi autem Aristoteles Quantitatem definire
videatur per divisibilitatem, est descriptio solum non
rigorosa definitio, utpote tradita non per essentiam,
sed per passionem, seu attributum, ut jam ostensum
est. Imò vel hinc arguitur essentiam quantitatis non
consistere in divisibilitate; cum nunc illius naturam
explicet Aristoteles per divisibilitatem, nunc per
mensurabilitatem, ut supra vidimus, quod indicio
est ipsum non intendisse vel uno loco vel altero illam
exacte definire, sed solum describere per respectum
ad effectus illius magis notos, quod in Aristotele non
est infrequens, ut sæpe jam advertimus.

*VIII.
5. sent. ait
quantitatem
esse radicem
extensionis.*

Quinta nonnullorum opinio est, effectum for-
malem primarium Quantitatis esse, quod sit radix
extensionis. At sanè, si hæc sententia intelligatur de
radice cujusvis extensionis, non videtur proban-
da; multæ enim res habent hujusmodi extensionem
quæ non sunt Quantitas; probabile quippe est sub-
stantiam, vel etiam qualitates, ut albedinem, nigre-
dinem, calorem &c. si separentur à Quantitate, non
necessariò confluerent ad punctum.

SECTIO II.

In quo consistat effectus formalis Quan-
titatis.

*I.
Effectus for-
malis quan-
titatis est, ut
sit radix ex-
tensionis, &
impenetra-
bilitatis.*

Dicendum ergo, in hoc situm esse effectum for-
malem Quantitatis, quod sit radix extensionis,
& impenetrabilitatis vel impenetrationis, seu quod
sit talis entitas, ut si sit divisibilis, petat habere par-
tes extra partes, ita ut hæc partes nec penetrari inter
se possint, nec cum rebus aliis similibus. Ita Sua. d. 4.
Met. sec. 2. n. 21. & sec. 4. per totam, estque hodie
communis inter recentiores opinio. Probatur primò
impugnatione omnium aliarum opinionum: cum er-
go nihil restet aliud, huc tandem est recurrendum;

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

Secundò probatur experientiâ; videmus quippe res
omnes quantas & habere partes extra partes exten-
sas in ordine ad locum, & cum aliâ re simili pene-
trari naturaliter non posse. Deinde, hic conceptus
est saltem ratione nostrâ prior effectibus relatis in
aliis opinionibus supra recensitis, ergo hic effectus
debet esse primarius & essentialis Quantitatis, non
alij.

Notandum tamen primò, extensiones actuales
quantitatum, seu ubicationes non esse per se impen-
etrabiles: unde si non sint modi, sed qualitates ab-
solutæ, ut eas esse diximus in Physicis d. 34. l. 3. si
conservarentur separata ab omni subjecto, possent na-
turaliter inter se penetrari, sicut duo calores vel al-
bedines ejusdem intensificationis. Quare rectius diceretur
Quantitas radix impenetrationis, quàm impe-
netrabilitatis. Duæ ergo quantitates sunt per se &
ratione sui impenetrabiles, non ratione ubicationum
seu extensionum in ordine ad locum; hæc enim licet
sint essentialiter extensæ, & nec divinitus possit una
pars esse in loco alterius, non tamen sunt formaliter
impenetrabiles: duæ enim extensiones seu ubicatio-
nes palmares, ejusdem, vel diversæ quantitatis pos-
sunt naturaliter esse in eodem loco si separentur à
quantitate, ut jam diximus. Quod à fortiori verum
est de ubicationibus in duabus substantiis, ut in dua-
bus materiis, vel formis materialibus, vel etiam in
duobus accidentibus.

*II.
Ubicationes
non sunt per
se impenetra-
biles.*

Notandum secundò, ex variis capitibus provenire
impenetrabilitatem: primò enim si Deus decrevisset
duas albedines, vel duos Angelos nunquam pene-
trari inter se, essent quidem impenetrabiles, non
tamen forent quantitas; nec enim hoc naturaliter
petent, sed merè esset ab extrinseco, & per acci-
dens. Secundò, ex eo quod sint res aliquæ essentia-
liter affixæ certo alicui loco, vel spatio, ut duæ ubi-
cationes, etiam Angelicæ, Romanæ videlicet, & Leo-
dientis, hæc enim duæ ubicationes, nec divinitus in-
ter se penetrari possunt, & tamen non sunt quantitas;
nec enim provenit iis hæc impenetrabilitas ex eo
quod altera ubicatio locum hunc quasi præoccupet,
& impediat quo minus altera ingrediatur, sed inde
solum procedit, quod utraque ubicatio sit essentia-
liter affixa suo loco, & consequenter apertius diceretur
impenetrabilitas quàm impenetrabilis. Idem suo modo
est de duabus durationibus Angelicis, hesternâ scili-
cet & hodiernâ, quæ ob eandem immobilitatem re-
spectu temporis inter se penetrari non possunt.

*III.
Variis modis
aliqua sunt
impenetra-
bilia.*

*Quo modo
duæ ubica-
tiones hete-
rogeneæ sint
impenetra-
biles.*

*Dua dura-
tiones quo-
sensu sint
impenetra-
biles.*

Aliquando verò provenit impenetrabilitas ex im-
possibilitate alterius; sic Deus est impenetrabilis cum
alio Deo, quia alius Deus est impossibilis, si enim
esset possibilis alius Deus, hic posset cum eo penetra-
ri: si tamen jam esset possibilis una tantum quantitas,
& postea alia redderetur possibilis, non posset hæc
cum illa naturaliter penetrari.

Notandum tertio, hoc quod est esse radicem im-
penetrabilitatis seu impenetrationis, importare ne-
gationem, non tamen propterea sequitur essentiam
& effectum formalem primarium Quantitatis con-
sistere in hac negatione, sed in concepto illo positivo
fundante negationem actualis penetrationis: multa
enim, ut sæpe diximus, explicantur per negationes,
quæ tamen consistunt in conceptu positivo. Sic irra-
tionale, distinctio inter duas res positivas, ratio u-
nius, & alia hujusmodi, licet consistant in positivo,
explicantur tamen per negationem.

*V.
Impenetra-
bilitas est
quid posi-
tivum.*

Notandum quarto, sicut in variis aliis rebus inve-
niri potest effectus primarius sine secundariis, saltem
divinitus, ut calor in subjecto absque eo quod tollat
frigus, item forma ignis induci potest in materiam
ligni, sine expulsionem suæ formæ, ita & potest divi-
nitus Quantitas esse sine effectibus suis secundariis.

*VI.
Effectus pri-
marius co-
sistere possit
sine secun-
dariis.*

Ecc 2

Unus

unus verò effectus secundarius Quantitatis est, ut impediatur aliud corpus ab ingressu loci in quo est hæc quantitas, divinitus tamen fieri potest, ut actu cum illa penetraretur in eodem loco aliud corpus. Alius effectus Quantitatis secundarius est actualis extensio & tamen divinitus potest esse quantitas sine actuali extensione, ut constat in Eucharistia, ubi in singulis partibus & punctis spatij est totum corpus Christi simul cum tota Christi quantitate, & tamen non habet ibi quantitas ullam actualem extensionem. Ex quibus satis ostenditur posse radicem extensionis & impenetrabilitatis, vel impenetrationis manere sine actuali extensione, & impenetratione, & effectum primum Quantitatis sine secundo.

SECTIO III.

Utrum Quantitas distinguatur à re quantà.

I. *Sententia distinguens quantitatem est auctoritate superior.* **L** Is in hac questione præcipue intercedit inter Nominales & Thomistas, his distinctionem inter Quantitatem & rem quantam asserentibus, illis negantibus. Thomistas communiter sequuntur recentiores Philosophi, & Theologi in hac questione, estque auctoritate superior hæc sententia, licet in ratione distinctionis hujus assignanda non parum laborent.

II. *Quantitas rem distinguat à re quantà est opinio Aristotelis, Augustini, & S. Thomæ.* **P.** Suarez d. 4. Met. sect. 2. late probat & auctoritate & ratione quantitatem distinguere à substantia, seu re quantà. Et sanè videtur clara mens Aristotelis, tum alibi, tum primo Physicorum, tex. 15. ubi ait: *si substantia & quantum sunt, duo sunt*: item in eadem opinione videtur esse S. Augustinus 5. de Trinit. cap. 10. dicens: *In his quæ magnitudinis participatione magna sunt, aliud est magnitudo, aliud quod ab eâ magnum est*. Idem expressè docet S. Thomas 3. p. quæst. 77. ar. 2. & in 4. d. 12. quæst. 1. ar. 1. & Scotus in 4. d. 12. q. 2. & in 2. d. 9. quæ in re utraque Schola suum sequitur Magistrum. Quare hæc sententiam longè puto probabiliorem.

III. *Probatur primum ex sacrosanctâ Eucharistia.* Primum argumentum quod ad hoc probandum affertur, desumitur ex mysterio Eucharistiæ, ubi, destructâ substantiâ panis, videmus manere adhuc accidentia, seu species panis in eadem extensione impenetrabilia, quæ ante consecrationem, ergo manet eadem quantitas seu forma cum hac extensione & impenetrabilitate, cum, manente effectu formali, maneat etiam forma necesse sit.

IV. *Hoc argumentum non convincit.* Hoc argumentum, esto non convincat, probabiliter tamen suadet intentum: licet enim respondere quis posset Deum ibi supplere defectum quantitatis ad obtegendum mysterium, producendo scilicet per se, ut auctor supernaturalis est, extensionem illam vel quantitas vel substantia, in sententiâ quantitatem non distinguente à substantiâ, naturaliter exigit, hoc inquam, si quis diceret, non posset clare convinci, nullam tamen hujus assertionis rationem redderet, & experientia potius suadet contrarium.

V. *Non est idè de gravitate, & quantitate.* Dices; in libris de Anima asseruisse nos, valde posse probabiliter defendi gravitatem non distinguere à formâ substantiali, & hoc modo ibidem ad similem objectionem ex Eucharistia petitam respondimus. Resp. nos urgentem rationem hujus assertionis ibidem adduxisse, nempe conformitatem in modo operandi cum aliis omnibus rebus, quibus ad operationis ad intra non assignantur potentia accidentales, ut ignis producit calorem in se per suam substantiam, qua frigus, anima potentias in sententiâ S. Thomæ, & sic de aliis; ergo cum per gravitatem o-

perentur res ad intra, producendo scilicet in se motum, non est cur ipsis addamus gravitatem distinctam, magis quàm igni qualitatem aliquam distinctam, per quam in se calorem & siccitatem producat, quod tamen à nemine asseritur.

Dices secundò; manere in speciebus Eucharisticis quantitatem; accidentia enim materialia sunt quantitas, sunt enim ex naturâ suâ extensa & impenetrabilia cum aliis accidentibus ejusdem speciei, esto enim calor penetrari possit cum albedine, dulcedine; & aliis qualitatibus specie diversis, non tamen cum alio calore, sicut nec albedo penetrari potest cum aliâ albedine, & sic de cæteris, & consequenter accidentia sunt ibi quantitas. Sed contrà, universim enim loquendo non est verum non posse duo accidentia numero tantum distincta inter se penetrari: primò enim plurimi ex adversariis admittunt intentionem qualitatum fieri per gradus homogeneos, & consequenter numero solum distinctos. Deinde, duæ species visibiles numero tantum diversæ sunt in eadem parte aeris & oculi, & consequenter inter se penetrantur: quod etiam verum est de duabus visionibus & imaginationibus objectorum numero tantum distinctorum. Præterea, visio directa & reflexa ejusdem objecti possunt esse simul in eadem parte oculi, imò & duæ reflexæ ex duobus speculis diverso loco successivè applicatis, hæc tamen visiones non distinguuntur specie. Et hoc sit secundum argumentum pro hac sententiâ.

Tertiò argumentor: si accidentia, seu qualitates per se sint quantitas, ergo quo quis habet plura accidentia, eo erit magis impenetrabilis cum aliâ re habente similia accidentia, sicque aer lucidus magis erit impenetrabilis cum aliâ parte aeris lucidi quàm cum tenebroso aut quàm duæ partes aeris tenebrose si inter se quod tamen est contra communem conceptum omnium, & à nemine conceditur; manifestè nihilominus sequi videtur ex hac sententiâ, ut constat.

Hæc argumenta probabilem reddunt hanc sententiam, & licet non convincant, conjuncta tamen cum tantâ auctoritate non est cur quemvis indifferenter in eam non inclinent. Unde Soto c. de Quant. qu. 2. licet hanc sententiam teneat, contrariam tamen probabilem esse asserit, nec posse satis firmâ ratione improbari: Suarez d. 40. Met. sect. 2. & Perier in Physicis aiunt eam vix posse convinci falsitatis. Quare rejicienda est hac in parte censura Ruvij, qui non solum ait communem hanc sententiam esse in Philosophiâ evidentem, sed fide suppositâ non posse oppositum sustineri.

Contrariam ergo sententiam, ut dixi sequuntur Nominales omnes, & affirmant non distinguere Quantitatem, vel à materiâ, vel accidentibus, sed singula accidentia esse per se impenetrabilia cum aliis ejusdem speciei. Arguunt primò: non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla est necessitas distinguendi Quantitatem à rebus quantis, ergo. Ad hoc argumentum non alio modo respondet P. Hurtado hic d. 13. sect. 2. num. 12. quàm dicendo illud esse leve ad sententiam communi Scholasticorum auctoritate firmatam improbandam, ad hoc enim, inquit, necessaria est evidens demonstratio in contrarium. Aliquid tamen amplius est respondendum, dicunt enim contrarij hanc esse evidentem demonstrationem.

Resp. ergo distinguendo majorem, non sunt multiplicanda entia sine necessitate simpliciter, nego Majorem, sine necessitate secundum quid concedo, unde neganda est Minor, & consequentia: necessitas verò hic secundum quid est experientia, quam habemus ex mysterio Eucharistiæ, in quo ad oculum patet manere effectum formalem Quantitatis, nempe

VI. *Obj. quantitas non distinguitur ab aliis accidentibus.*

Resp. ostendendo alicuius accidentis non esse quantitatem.

VII. *Duæ partes aeris lucidi essent magis impenetrabiles, quàm partes aeris tenebrose.*

VIII. *Hæc argumenta reducta sententiam de distinctione quantitatis solum probabilem.*

IX. *Obj. non sunt multiplicanda entia sine necessitate.*

X. *Resp. adentia multiplicanda sufficere necessitatem, cum quid.*

*Sicut entia
ita nec mi-
racula mul-
tiplicanda
sunt sine ne-
cessitate.*

be extensionem & impenetrabilitatem, ergo probabile est manere radicem illius, seu formam hoc existentem. Quod enim dicunt hoc fieri miraculose, gratis id asserunt, cum nullum aliunde argumentum habeant ad probandum ibi non manere Quantitatem. Unde sicut arguunt ipsi non esse multiplicanda entia sine necessitate, ita argui è contrario posset non esse multiplicanda miracula sine necessitate, & tantam habet vim hæc argumentatio, ac illa, nisi aliunde ostendatur ratio urgens pro identificatione quantitatis cum substantia.

*Ex eo quod
quantitas
esse subje-
ctum acci-
dentium,
nullus se-
queretur
processus in
infinitum.*

XI. Arguunt secundo: si ad alia accidentia recipienda requiratur quantitas tanquam eorum subjectum, cum quantitas etiam sit accidens, requireret etiam aliud accidens in quo ipsa subiectetur, & illud accidens requireret aliud, & sic in infinitum. Resp. non requirere nos quantitatem tanquam subjectum aliorum accidentium; diximus enim in Physiis, subiectari illa immediate in materia primâ, & solum requiri quantitatem tanquam dispositionem quandam, quia nihil mirum non possunt agentia naturalia operari nisi in subiecto quanto, & extenso: quod tamen intelligitur naturaliter; si enim divinitus conservaretur substantia aliqua sine quantitate, posset in illam agere agentia naturalia, ut dicitur sect. sequente. Hoc tamen concessio, negatur consequentia, sicut etiam non sequitur processus in infinitum in causis efficientibus, ita ut semper detur prior & prior in infinitum, ita nec hoc sequitur in materialibus: unde licet materia requireret accidens aliquod, nempe quantitatem, ad recipiendum alia accidentia, non tamen propterea sequitur requirere aliud accidens ad recipiendam ipsam quantitatem: sicut enim datur primum in causis efficientibus, ita & in materialibus.

SECTIO IV.

Alia quadam ad Quantitatis notitiam spectantia.

*Quantitas
non est mo-
dus.*

I. Quæres primò, utrum Quantitas sit modus? Resp. negativè, cum divinitus existere possit separata à subiecto, ut cernitur in speciebus Sacramentalibus. Nec est major ratio cur Quantitas censetur esse modus, quam albedo, nigredo, calor, frigus, lux, & qualitates omnes, imò quam formæ substantiales materiales. Cum ergo non sit peculiaris aliqua ratio cur asseratur esse modus, & aliunde mysterium Eucharistiæ ostendat eam conservari separatam à subiecto, substantiâ scilicet panis, dicendum est eam non esse modum, sed accidens absolutum.

*Potest ma-
teria conser-
vari sine
quantitate.*

II. Quæres secundo, an materia conservari possit sine quantitate? Resp. posse: nulla enim hujus rei apparet probabilis implicancia, ut constabit ex sequentibus. Casu autem quo materia conservaretur sine quantitate & gravitate (quod non est cur fieri divinitus non possit) non conflueret ad punctum, per se loquendo; quidni enim adhuc retineret. posset priorem locum? effectus quippe formalis Quantitatis non est actualis extensio, sed radicalis, juxta jam dicta: unde non est cur non retineat substantia illa priorem extensionem, seu ubicationem, licet enim substantia sine quantitate non exigat talem præsentiam, sed possit ab Angelo secundum diversas partes multiplicari, & secundum unam partem cum aliâ penetrari, non tamen respuit præsentiam illam, sed est illi præternaturalis, sicut motus circularis igni in sua sphaerâ, & ut aliqui volunt, motus cælo.

*Materia si-
ne quanti-
tate non*

III. Moveri etiam tunc posset substantia illa localiter ab Angelo, non tamen ab agente aliquo materiali & quantitativo, cum eâ quippe penetraretur, & conle-

*posset moveri
ab agente
quantitati-
vo.*

quenter imprimere ei motum, aut impetum non posset, cum ei non obstitere: sicut, ut supra ob eandem rationem diximus, non posset agens quantitativum eam dividere.

*IV.
An ablata
quantitate
posset pun-
ctum mate-
ria extendi.*

Quæres tertio, utrum, si auferatur quantitas, posset punctum materiae naturaliter ad spatium divisibile extendi, sicut potest anima aut Angelus existens in puncto? Resp. non posse ob limitationem naturalem: gratis autem quis illam ei perfectionem tribueret.

*V.
Animal sine
quantitate
si retineret
gravitatem
descenderet
ad centrum
& conflue-
ret ad pun-
ctum.*

Quæres quarto, utrum posset animal aliquod, si divinitus conservaretur sine quantitate, se movere? Ab alio agente quantitativo moveri non posse jam si retineret proxime dictum est. Motu ergo gravitatis posset moveri naturaliter: cum enim singulae partes adhuc retinerent suam gravitatem, ut supponimus, omnes seu totum animal descenderet ad centrum, cum non inveniret resistantiam, quò cum per aliquam sui partem pervenisset, reliquæ partes adhuc descendendo cum prioribus penetrarentur, sicque totum animal in centro collocaretur in puncto. Quare si Deus à toto elemento terræ & aquæ manente gravitate, auferret quantitatem, conflueret illico ad punctum.

*VI.
Animal sine
quantitate
non posset se
movere mo-
tu progressivo.*

Quoad motum localem, existimo animal non posse tunc movere se motu progressivo: cum ad hujusmodi motum requiratur certa organizatio, cujus præcipua pars est Quantitas. Multo minus movere se posset à terrâ saltando, cum ad hoc præter organizationem requiratur impetus quidam in terrâ impressus, & terræ resistantia, quæ tunc nulla esset, resistantia enim requirit impenetrabilitatem.

*VII.
Res sine
quantitate
posset alia
rari.*

Tandem quoad motum alterationis, videtur posse lignum ablata quantitate alterari, modò maneat extensum: imò aliqui putant facilius tunc, & citius alteratum iri, cum ignis melius illi applicaretur, nec enim esset ipsi proximus solum, sed intus posset eum penetrari, & sic magis esset indistans.

*VIII.
Quomodo
locus, &
tempus sint
juxta Ari-
stotelem
quantitates.*

Quæres quinto, quæ sint species Quantitatis? In primis Aristoteles ait locum & tempus esse species Quantitatis. Sed sumit ibi Quantitatem Aristoteles latè, locus enim vel sumitur pro imaginatio, vel pro reali; si primum, non potest esse Quantitas, cum locus imaginarius vel nihil sit, vel ad summum nega- tio. Locus etiam realis intrinsecus, nempe ubicatio, non est Quantitas, ut constat, cum eadem Quantitas maneat mutatis ubicationibus. Si autem sermo sit de loco reali extrinsecus, nempe aëre, aut re aliâ ambiente, tunc quidem est quantitas, non tamen peculiarem constituit speciem Quantitatis, sed quasi transcendit res omnes materiales, cum nihil ejusmodi sit, quod non possit esse locus extrinsecus respectu alterius rei. Tempus etiam non est species Quantitatis, si propriè & in rigore loquamur: nec enim imaginarium nec reale, ob rationes proximè allatas de loco, quæ hic à fortiori vim habent.

*IX.
In quo dis-
ferant quanti-
tates conti-
nuæ & dis-
cretæ.*

Dividitur ergo Quantitas, ut diximus, tanquam in præcipuas species, in continuam, & discretam. Quantitas continua sunt res omnes materiales habentes diversas partes, quæ aptæ sunt occupare locum. Quantitas discreta est numerus diversarum rerum quantitativarum, ut hominum, leonum, &c. quæ inter se non conjunguntur, ita ut faciant unam rem continuam.

*X.
Non dividit-
ur quanti-
tas continua
in puncta,
lineas, &
superficies
tanquam
in species
completas.*

Quòd autem aliqui dicant Quantitatem continuam aptè dividi in puncta, lineas, & superficies, quæ proinde vocant species Quantitatis continuæ, non tamen potest dividi Quantitas in hæc tanquam in species completas, sed solum incompletas, cum singulae per se completè constituere Quantitatem non possint, ut in Phys. ostensum est disp. 44. & 45. Quantitatem continuam definit Aristoteles esse id quod est divisibile in partes actu unitas. Quantitatis verò discre-

ta inter alias definitiones hanc tradit, quæ omnium videtur optima & clarissima, *Quantitas*, inquit, *diffinita est illa quæ habet partes extra partes termino com-*

muni non copulatas. Quæ definitio ita clara est, ut declaratione non indigeat.

DISPUTATIO X.

De Qualitates, & reliquis Prædicamentis.

SECTIO PRIMA.

Declarantur ea quæ spectant ad notitiam Qualitatis.

I. Qualitas variis modis sumitur.

Describitur qualitas ab Aristotele.

II. Quædam Qualitatis definitio.

III. Prima dividitur qualitas in habitum & dispositionem.

IV. Secunda qualitas dividitur in potentiam & impotentiam.

Qualitas variè sumitur: primò latissimè, pro omni eo scilicet, quod alteri advenit per modum formæ, sive quid substantiale sit, sive accidentale: sic differentia substantialis dici solet prædicari in *quale quid*. Secundò, sed minùs etiam propriè sumitur Qualitas pro omnibus accidentibus, ut cum dicimus accidens prædicari simpliciter in *quale*. Tertio, prout constituit hoc prædicamentum, cuius natura, quia ignota, definitur vel describitur ab Aristotele his solum verbis, *Qualitas est quæ quales esse dicimur, & per quam respondemus ad questionem qualis res sit*. Quæ definitio, licet nonnullis recentioribus non placeat, ipsi tamen nihilo meliores, imò quasdam multò peiores statuunt, quarum proinde relatione supersedeo.

Omissis ergo aliorum definitionibus Qualitatis, quas singulifere singulas assignant, sic mihi non incongruè definiri posse videtur: *Qualitas est accident absolute, à quantitate distinctum, bene vel malè afficiens subiectum*. Hæc definitio omnes & solas qualitates complectitur, & ulterius Qualitatis naturam explicat. Per particulam *absolutam*, Qualitas distinguitur à Relatione, & aliis accidentibus modalibus: particulæ sequentes eam distinguunt à Quantitate: ultimæ demum particulæ effectum formalem Qualitatis declarant: nulla enim omninò est qualitas, sive materialis, sive spiritualis, quin vel boni aliquid, ut ornatum, potentiam &c. vel mali, aliquid scilicet disconveniens subiecto afferat, ut est calor aquæ, dolor animali, &c. In hoc ergo aliis præferenda mihi videtur hæc nostra definitio, quòd quædam ex illis definitionibus licet qualitatem ab accidentibus aliis distinguant, illius tamen naturam non declarant. Quæ de crûsâ, hæc secundum omnes censetur mala definitio hominis, *Homo est corpus, aut vivens rationale*, licet omni & soli homini conveniat.

Qualitatem in quatuor species dividit Aristoteles: prima est *habitus & dispositio*: *Habitus* est qualitas difficilè mobilis à subiecto, & jam quasi versa in naturam, ut habitus vitiosus, cum scilicet quis diu assuetus est alicui vitio, quod proinde à se remove, nisi magno conatu ac studio non potest. *Dispositio* è contrà est qualitas facilè mobilis, ut calor. Hic tamen cum Aristotele notandum, si dispositio alio modo sumatur, seu latè, nempe ut significat omne id, quod quovis modo disponit subiectum, sic omnem habitum esse etiam *Dispositionem*, non tamen si propriè sumatur *Dispositio*, ut significat Qualitatem facilè mobilem.

Secunda species Qualitatis est *Potentia & Impotentia* ad aliquid agendum. Per *potentiam* intelligitur quæcunque Qualitas insita à natura ad agendum, ut intellectus, voluntas, &c. Per *impotentiam* verò intelligunt quidam qualitatem insitam ad resistendum: alij virtutem remissam ac debilem ad agendum, non

tamen meram negationem potentiz.

Tertia species est *Passio & Passibilis qualitas*: *Passio* juxta Aristotelem, ut hic sumitur, est qualitas citò transiens à subiecto, orta ex perturbatione aliqua subita, ut rubor ex verecundiâ, quæ est quidam timor conviti, & pallor ex metu, qui est timor imminentis mali. *Passibiles qualitates* sunt similes prioribus, permanentes tamen: unde si ille ipse rubor, qui nunc ex verecundiâ provenit, permaneret, seu oriretur ex complexione naturali diceretur, non *passio* sed *passibilis qualitas*. *Passibiles* ergo qualitates simpliciter tribuunt denominationem, non *passiones*: unde non dicitur quis iracundus ob unum vel alterum actum iræ, nec simpliciter rubeus, quòd subinde erubescat.

Quarta species Qualitatis est *forma* seu *figura*, ut finitas, & rotunditas: ubi ponit differentiam Aristoteles inter *quadrangulum*, & *quadratum*, quod illud habeat quatuor angulos inæquales, hoc quatuor æquales. Alij, & non malè, dividunt qualitatem in naturalem & supernaturalem, vitalem & non vitalem. Sed de his satis.

SECTIO II.

De Contrarietate Qualitatum inter se.

Uas hic statuit Aristoteles proprietates Qualitatis: prima est habere contrarium, ut calor habet frigus, albedo nigredinem, & è contrà: quod Quantitati, nec substantiæ formaliter, sed solum rationaliter convenit, quatenus scilicet sunt susceptiva contrariarum qualitatum. Siquis tamen dicere vellet, formas aliquas substantiales, ut aquæ & ignis animæ & formæ cadavericæ, sibi esse contrarias, non facile convinceretur. Certè peculiarem habent oppositionem, nec merè se invicem expellunt ob incapacitatem subiecti, sicut in plerisque aliis formis substantialibus contingit: si enim Deus in hac incapacitate subiecti dispensare vellet, adhuc existimo opus esse novâ dispensatione ut forma ignis & aquæ subiectum idem simul informet, ob peculiarem earum repugnantiam. Deinde, maximè distant sub eodem genere, quæ est definitio contrariorum.

Hæc tamen proprietas in omnibus qualitatibus non reperitur, lumen enim contrarium non habet, sicut nec potentiz animæ, si ab animâ distinguantur, nec colores medij, viriditas rubedo, &c. si strictè & rigorosè loquamur: si quam tamen habeant contrarietatem, in tantum habent, in quantum magis vel minùs participant de extremis, albedine scilicet & nigredine; contraria enim, ut dixi, juxta Aristotelem, illa tantum sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem mutuo se subiecto expellunt.

Secunda proprietas Qualitatis, per quem etiam differt à Quantitate, & substantia, est, quòd suscipiat magis & minùs, non quidem Logicè, ut aiunt, seu Metaphysicè, & essentialiter (*essentia enim consistunt in indivisibili*) sicque essentialiter loquendo, tam primus gradus caloris est calor quam octavus, sed physicè & secundum intentionem: sic unus paries est magis

Tertia dicta sit est in Passione, & Passibilem qualitatem.

Robur ex verecundiâ, & pallor ex metu, quid denotens.

Quarta species qualitas est forma, seu figura.

I. Prima qualitas proprietas juxta Aristotelem est habere contrarium.

Non videtur impossibile formas aliquas substantiales sibi esse contrarias.

II. Multæ qualitates, ut lux, potentia animæ, &c. non habent contrarium.

Quæ sunt contraria.

III. Secunda proprietas est suscipere magis & minùs.

magis albus quam alius, una aeris regio magis calida, vel frigida quam alia, &c. Hæc tamen etiam proprietates omnibus qualitatibus non competit, potentia enim vitales dicuntur communiter non suscipere magis vel minus. Licet autem prima substantia dicatur ab Aristotele maximè substantia, hoc tamen solum dicitur ab attributo substans, quod scilicet individua aliis subsistent, non quoad intensiorem.

IV. Dubitant hic aliqui, utrum inter calorem & frigus (idem esse volunt de quibuscunque aliis qualitatibus) sit vera & propria contrarietas, seu peculiaris antipathia, & oppositio circa idem subiectum, an solum se invicem expellant propter incapacitatem subiecti, quo pacto quæcunque duæ formæ substantiales se invicem expellunt.

V. Qui gradus caloris & frigoris statuunt homogeneos, ægrè propriam hanc contrarietatem reperiunt, sed in eadem sententiâ totum refundi videtur in limitatam virtutem subiecti, quod capax solum est naturaliter octo graduum in universum caloris & frigoris. Unde, quando subiectum est plenum, si alius gradus inducatur, unus aliquis ex prioribus eadem operâ expellatur necesse est. Sicut si vas aliquod esset capax octo tantum mensurarum aquæ, si nona infundatur, una aliqua ex prioribus effundi debet: perinde tamen est quænam illa sit, sicut in gradibus etiam caloris non refert quis sit qui ad inductionem novi gradus expellitur, modò aliquis expellatur.

VI. In verâ tamen sententiâ, gradus hosce statuente heterogeneos, facile ostenditur propriissima contrarietas inter has qualitates, & quod se invicem expellant ob veram & peculiarem oppositionem quorundam graduum inter se, & non ob meram incapacitatem subiecti; si enim inducto quinto gradu caloris ex gr. expelleretur gradus aliquis frigoris, merè quia subiectum habere nequit in universum nisi octo gradus, sufficeret quæcunque ex gradibus frigoris expelli, & tamen videmus à quinto illo gradu caloris peti peculiariter quantum gradum frigoris, cæteris illæsis, quod signum est, peculiarem oppositionem; & ut ita dicam, inimicitiam naturalem inter quorundam graduum caloris & quantum frigoris intercedere, quæ non intercedit inter quantum illum gradum caloris & secundum vel tertium frigoris: sicque peculiari modo hi gradus sunt contrarii.

VII. Hinc infero, à fortiori oppositionem contrariam intercedere inter amorem & odium, assensum & dissensum circa idem obiectum; ita enim sibi invicem adversantur ut nec in gradibus, quantumvis remissis,

consistere simul naturaliter in eodem subiecto possint. Hoc autem refundi nequit in incapacitatem subiecti; subiectum enim, quod sustentare potest actum amoris intensum ut octo, seu octo gradus amoris circa aliquod obiectum, posset à fortiori sustentare simul actum amoris & odij circa idem, quorum uterque esset intensus tantum ut unum, nisi peculiaris esset inter eos oppositio.

Circa secundam etiam proprietatem Qualitatis n. secundo relatum, quod scilicet intendi possit & remitti, quo pacto hoc etiam non competat substantiæ, ostensum est in lib. de Generat. disp. decima. nona, numero octavo.

VIII.

SECTIO III.

De reliquis Prædicamentis.

Actio est influxus, seu causalitas, qua agens aliquid producit, seu est via ad terminum. Passio Actio, Passio est ratio formalis per quam effectus causatur, & sustentatur, ac educitur è subiecto: de quibus latius in Physicis disp. quadagesimâ. Vbi est ratio formalis per quam res habet esse in loco, seu quâ loco affigitur.

Situs non distinguitur ab ubi & figurâ: significat autem modum particularem taliter vel taliter occupandi locum, sedendo scilicet, stando, cubando, &c. & per hoc distinguitur ab ubi, quod hoc solum significat præcisè occupationem illius loci, non tamen modum occupandi, quod scilicet quis sit hac vel illâ ratione locatus.

Quando est duratio cuiusque rei, seu correspondentia ad tempus imaginarium, Habitus videtur denominatio extrinseca à re habitâ, ut esse vestitum, esse armatum; quod idem est ac habere vestes, vel arma. Habitus nonnunquam alio modo sumitur, ut cum dicimus, Habitus & privatio, tunc autem significat formam aliquam accidentalem oppositam privationi.

Hic tandem notandum, non omnia Prædicamenta distingui realiter, imò neque ratione ratiocinatâ semper secundum diversas formalitates, sed aliqua distinguuntur solum penes explicitum & implicitum. Prima pars constat in actione & passione, quæ secundum communem sententiam non distinguuntur realiter. Secunda pars ostenditur in situ & ubi, imò & in actione & passione, quæ non videntur aliter distingui posse, quam penes explicitum & implicitum.

DISPUTATIO XI.

De Prædicamento Relationis.

SECTIO PRIMA.

Nonnulla ad Relationis notitiam præmittuntur.

Aristoteles hic c. de relatione prope finem relativa sic definit: *relativa sunt quorum esse est ad aliquid, seu ad aliquid aliquo modo se habere, sive ut communiter explicant interpretes, relativa sunt, quorum esse est ad aliud, seu respicere aliud, nam ut vicinius d. i. l. i. n. 7. aliquid idem est ac aliud quid.*

Ad Relationem ergo tria requiruntur, fundamentum, terminus, & ratio fundandi. Fundamentum relationis est illud, quod refertur, Terminus id ad quod refertur, Ratio fundandi, quod & fundamentum proximum.

Ecc 4

um;

Nullam in toto cursu philosophico questionem vel fusiùs auctores, vel exactius tractant, quàm de Relatione, ejusque naturam ac proprietates accuratissimè declarant. Quod eo, ut arbitror, consilio faciunt, licet enim Relatio per se res admodum minuta sit, ejus tamen mentio sæpius in rebus naturalibus explicandis recurrit, quæ ut inter se ordinem quandam dicunt, ita per hunc ordinem commodissimè explicantur. Unde quid ordo, quid respectus, seu (quod in re idem est) Relatio sit, perfectum plene habeat necesse est, quilibet rerum naturalium naturam indagandam aggreditur, quam nisi habeat exploratam, ad singulos penè passus hærebit, nec in cæpto opere progressi omnino poterit. Hanc proinde hic explicandam suscipimus.

tum, termi-
nus. & Ra-
tio fundan-
di.

mum vocatur; est illud, quod est causa, seu ratio, vel necessaria saltem conditio, ut una res respiciat, vel referatur ad aliam. Ex.gr. Petrus est Pater Pauli, substantia Petri est fundamentum Relationis patris; Paulus est terminus, & generatio vocatur ratio fundandi. Non tamen semper ratio fundandi, seu fundamentum proximum est realiter à subjecto distinctum, ut cum duæ qualitates referuntur ad invicem relatione æqualitatis: & idem est de duabus substantiis, & aliis innumeris, de quibus postea.

III.
Relationem
dari affir-
mant om-
nes, pauci
probant.

Dari huiusmodi Relationes ita authorum omnium testimonio probatur, ut eas negare error in philosophia censeatur à plurimis. Ratio autem efficax ad illas astruendas haud facile assignatur. Probant aliqui, quia datur Relatio rationis, ergo & realis ad cuius similitudinem fingatur. Hæc tamen ratio non videtur efficax, ad hoc enim sufficere posset Relatio transcendentalis, ut cum videmus causam dicere habitudinem ad suos effectus, vel lapidem propendere ad centrum: nec enim ad aliquid fingendum opus est, ut aliud planè simile videamus, sed ex uno aliquo quod videmus, occasionem sumimus mille alia fingendi.

IV.
Optima
probatio est,
quod repe-
riantur Re-
lationes in
Divinis.

Ratio ergo efficacissimi sumitur ex Divinis, ubi certum est dari veras Relationes reales, ut Paternitatis per quam Pater refertur ad Filium, & Filiationis per quam Filius vicissim refertur ad Patrem. Cū ergo in creatis sit etiam verè Pater & Filius, quidam dunt Relationes, per quas in esse talium constituuntur? Certè non repugnant ob perfectionem, cum alia entia longè perfectiora reperiantur in creatis, ut substantia, quantitas, qualitas: nec propter imperfectionem, cum in Deo reperiantur, licet in Deo, cum accidentium capax non sit, sint substantia, & cum eo realiter identificatæ. Imò res variæ non multò perfectiores in creatis reperiuntur, ut modi. Hæc ratio, licet fortassis non convincat, probabilitate tamen non caret.

V.
Multa sunt,
quæ sine re-
latione con-
cipi neque-
unt.

Secundò probatur: multa sunt in creatis, quæ sine ordine ad aliud intelligi nequeunt, hoc autem est Relatio, ergo. Major probatur, non possumus namque concipere Filium quin concipiamus substantiam illius referri ad aliquid aliud, ergo ibi concipimus respectum aliquem, & relationem, seu respicientiam ad terminum, nempe patrem, nec enim respicit se, sed aliud. Idem est in Patre respectu Filij, & ut multi volunt, in aliis Relationibus similitudinis, æqualitatis &c. Et hoc est quod dicit Aristoteles dum definit Relativa esse, quorum totum esse est ad aliquid, seu aliud quid se habere.

VI.
Duplex ra-
tio Relatio-
nis. Esse ad.
& Esse in.

Hic etiam notandum in omni Relatione Prædicamentali, duplicem reperiri rationem, ESSE IN & ESSE AD. Esse in communis illi ratio est cum cæteris omnibus accidentibus: Esse ad est ratio propria huius Prædicamenti, seu ratio Relationis, non prout inest subjecto, sed prout respicit aliud, seu refertur ad terminum. Ex his ergo duabus rationibus constat Relatio estque ratio in uno existens, aliud respiciens, ut paternitas existens in patre, respiciens filium.

SECTIO II.

De Relatione rationis, secundum dici, Prædicamentali, & transcendentali.

I.
De Relatio-
ne Rationis.

DE Relatione rationis fusè dictum est in Logica tract. de Ente rationis. Nihil ergo aliud est quam Relatio aliqua per intellectum facta in objecto, estque proinde ens rationis, utpote cuius totum esse est esse objectivè in intellectu, qui illud ad similitudinem alicujus Relationis realis fingit & fabri-

cat. Videatur disp. 17. Log. sec. secunda.

Relationem secundum dici confundunt aliqui cum transcendentali, sed malè, transcendentalis enim Relatio ubicunque est, est vera & realis habitudo ad aliquid, causæ ver.gr. ad effectum, ut constet in materia primâ respectu formarum, & potentis respectu suorum actuum. Relatio autem secundum dici idè solum vocatur Relatio, quia per modum habitudinis, seu in ordine ad aliquid aliud explicatur, consistitque solum in modo nostro concipiendi, ut declarabitur numero sequente.

Nihil ergo est Relatio secundum dici intrinsecum objecto, sed sola denominatio extrinseca ab actu intellectus, illud concipiente in ordine ad aliud, ob imperfectionem nostri intellectus, qui res prout sunt in se concipere semper non potest. Non ergo attribuius objecto quiddam per huiusmodi actum intellectus, sicut facimus cum fingimus in illo Relationem rationis, sed solum ex parte concipientis formatur conceptus ad imitationem rei alicujus positivæ, quam tunc menti representamus. Sic concipimus res spirituales per modum corporis, Angelum ad modum juvenis alati, Deum Patrem ad modum senis &c.

Relationes tamen secundum esse aliquo modo vocari solent secundum dici, in quantum scilicet concipiuntur & explicantur in ordine ad aliud, non tamen sunt Relationes secundum dici tantum, ut res aliæ quæ explicantur per ordinem ad aliud ex parte modi concipiendi, cum tamen in re nullam dicant ad illud habitudinem, ut Angelus ad juvenem alatum. Aliquo tamen modo possunt Relationes transcendentes vocari Relationes secundum dici, quia nimirum non sunt tam propriæ Relationes, atque Relationes Prædicamentales, harum enim totum esse est ad aliud se habere, sicque sunt purissimus respectus, cum tamen Relationes transcendentes, ut plurimum sint & vocentur res absolutæ, & non consistant pure in esse ad.

Inter Relationem transcendentalem & prædicamentalem hoc interest, quod Relatio transcendentalis sit ipsa Entitas rei, quæ respicit aliud. Relatio autem prædicamentalis est quid fundamento, quod refertur, adveniens, ac proinde ut plurimum abesse ab illo potest. Sic homo existerè potest sine Paternitate &c. Ratio est, quia transcendentalis Relatio, cum sit ipsa sola entitas rei, separari ab eâ non potest, cum nihil separari possit à se. Ac proinde Relatio transcendentalis non advenit alicui rei jam in suo esse constitutæ, sed est aliquid realiter cum re illâ identificatum, & complens entitatem, cujus respectus esse dicitur. Prædicamentalis autem respectus advenit fundamento plenè jam in suo esse reali, seu essentiali conceptu constituto, & illi adhæret tanquam quid illud referens ad aliud.

Relatio itaque Prædicamentalis refert fundamentum in quo est ad aliud. Relatio autem transcendentalis refert se, ut materia est ordo sui ad formam, & forma vicissim ad materiam. Qua etiam de causâ vocatur transcendentalis, quod scilicet transcendat omnia ferè genera entium, omniaque prædicamenta, ut substantiam, quantitatem, qualitatem, actionem &c. cum tamen Prædicamentalis relatio certis unius tantum prædicamenti limitibus definiatur.

Relativa transcendentalia simpliciter vocantur entia absoluta, ut supra notavimus, respectu scilicet relativorum prædicamentaliū: Relativa enim simpliciter sunt sola prædicamentalia: qua de causâ à S. Thoma & aliis Relationes transcendentes vocantur subinde Relationes secundum dici, quia sunt alterius prædicamenti, & ipsarum munus non est propriè & adæquatè referre sicut prædicamentaliū, licet

II.

Malè alii
qui confun-
dunt Relati-
onem se-
cundum dici
cum trans-
cendentali.

III.

Quid sit
Relatio se-
cundum dici.

IV.

Relationes
transcenden-
tales vocan-
tur subinde
secundum
dici.

V.

Differentia
inter Relati-
onem Præ-
dicamenta-
lem, & trans-
cendentem.

VI.

Cur vocetur
Relatio Tran-
scendentalis.

VII.

Relativa
simpliciter
sunt sola
Prædicamen-
talia.

licet necessariò referant se ad aliud, seu sint sui referentiae, ut dictum est numero præcedente.

VIII. Hinc oritur alia differentia inter Relationem prædicamentalem & transcendentalem, quod Relatio prædicamentalis respiciat terminum ut purè terminum, nihil circa illum aliud agendo, quàm merè respiciendo. Transcendentalis verò Relatio aliquid semper aliud circa terminum facit, vel illum producendo, si sit actio productiva, vel uniendo si unio, cognoscendo, amando, &c. Conf. hoc insinuari videtur in ipsa definitione Relationis, *cujus totum esse est ad aliud*, seu pura respicientia termini, & quod non det aliam denominationem termino, quàm purè respici, seu meram, ut ita dicam, denominationem respectu: cum tamen Relatio transcendentalis semper det termino aliquam aliam denominationem, ut jam dictum est.

IX. Dices cum quibusdam recentioribus, Relationem etiam prædicamentalem dare aliam denominationem, est enim assimilatio. Contrà, dat aliam denominationem fundamento, concedo antecedens; termino, nego. Vel si etiam det termino, ut in relationibus mutuis, dat termino, non ut terminus est unius relationis, sed ut est fundamentum alterius. Unde relatio similitudinis non dat termino denominationem similis, sed tantum fundamento, terminum autem respicit ut purè terminum.

X. Dices secundo; Pater non respicit filium ut purè terminum, sed ipsum causando, ergo. Resp. distinguendo antecedens, causando per Relationem paternitatis, nego antecedens; per actionem generativam concedo: per paternitatem autem purè respicit filium, nihil circa ipsum agendo, sicut & filius vicissim per filiationem purè respicit patrem, nihil circa ipsum agendo.

XI. Dices tertio; unio hypostatica inter naturam humanam & Verbum Divinum respicit Verbum Divinum ut purè terminum, ut docent Theologi, & tamen est Relatio transcendentalis, ergo non est proprium munus Relationis prædicamentalis respicere ut purè terminum. Conf. cognitio, visio, & cæteris actus immanentes, respiciunt objectum ut purè terminum, ergo &c.

XII. Ad argumentum resp. licet unio hypostatica non hoc sensu respiciat Verbum Divinum, ut ab illo in genere causæ materialis unio illa sustentetur, Verbum tamen verè unionem terminat intrinsecè, ita ut ea mediante, ex naturâ humanâ & Verbo fiat unum compositum substantiale, & per se, & ad hoc unio ex naturâ suâ ordinatur. Quare hoc solum sensu dicitur Verbum purus Terminus, quia non subiectat unionem, verè tamen ab unionem afficitur. Ad confirmationem dico, licet cognitio, visio, &c. hoc sensu respiciant objectum ut purè terminum, quod ipsi non sint intrinsecè, dant tamen termino aliam denominationem quàm purè respectu, nempe denominationem visi cogniti &c. in quo differunt à Relationibus prædicamentibus, quæ suis terminis non aliam dant denominationem, quàm respectu.

SECTIO III.

Sine Relatio prædicamentalis concretum ex fundamento & termino.

I. Invaluit inter recentiores quoddam opinio, quam à Nominalibus desumpserunt, Relationem scilicet aliud nihil esse formaliter, præter fundamentum & terminum, sed utrumque includere, & adæquatè ex his coalescere, sicque dicunt Relationem similitudinis v.g. inter duos parietes albos esse ipsos illos duos

parietes. Relationem etiam paternitatis Ioannis patris respectu Petri filij nihil aliud esse volunt, quàm Ioannem & Petrum cum actione generativâ.

Pro hac sententiâ undique à recentioribus quaruntur auctores, sed præter pauculos Nominales ægrè quemquam invenient ex antiquis, qui eam sit sequeutus. Imo Okamus qui fortasse vel primus, vel inter primos eam tradidit, sic scribit in x. d. 30. q. 2. *Si quis, inquit, vellet relinquere auctoritatem omnium, negare posset Relationem, & dicere nihil aliud esse, quàm entitatem fundamenti, & termini.* Ex quibus Okami verbis duo deduco: primò existimasse ipsum hanc opinionem esse contra auctoritatem omnium antiquorum, deinde illos qui eam amplectuntur, quidquid verbis præ se ferant, re tamen verâ tollere omnem Relationem. Tenet hanc sententiam P. Hurt. d. 15. Met. l. 2. P. Ariag. d. 12. Log. l. 5. n. 19. & sec. 9. P. Oviedo cont. 9. Met. l. 4. n. 19. & quidam recentiores. Citatur etiam P. Sua. sed ille, licet uno vel altero loco obscurius loquatur, ubi tamen suam explicat sententiam clarissimè asserit Relationem adæquatè se tenere ex parte fundamenti & solum respicere terminum, sicque P. Hurt. l. 3. citato §. 29. tandem fatetur P. Suarez huic sententiæ adversari.

Impugnatur primò hæc sententia, & suppono cum totâ scholâ Philosophorum, ex Aristotele, qui hic integrum caput scribit de iis quæ sunt ad aliquid, seu de Relatione: & in Metap. de iisdem iterum tractat, dari relationem: quo posito sic argumentor. Definitio Relationis ex Aristotele est, *Relatio est cuius totum esse est ad aliud*; ergo tota ratio Relationis tenet se ex parte fundamenti. Pater consequentia, terminus nec partialiter respicit, vel refertur ad aliud, cum illud aliud sit ipse terminus, nihil enim refertur ad seipsum, ergo tota ratio respicientiæ tenet se ex parte fundamenti. Antecedens probatur, essentia respicientiæ est, ut totum ejus esse sit ad aliud, sed terminus non est aliud à se, ergo non habet respicientiam ad se, ergo non est pars hujus respicientiæ, ergo posito quod detur Relatio, necessariò est vel solum fundamentum, vel saltem tenet se adæquatè ex parte fundamenti, cum solum fundamentum sit quod refertur ad aliud.

Conf. primò, terminus est id quod respicitur, seu id ad quod est Relatio, ergo id quod activè respicit, tenet se adæquatè ex parte fundamenti, ergo denominatio respicientis tenet se adæquatè ex parte fundamenti, sed denominatio respicientis formaliter provenit à Relatione, sicut denominatio albi ab albedine, ergo Relatio tenet se adæquatè ex parte fundamenti. Conf. secundo, in eo solum extremo est Relatio, quod denominatur Relatum, sicut ad id solum terminatur cognitio, quod denominatur cognitum, sed solum fundamentum denominatur Relatum, non terminus, ergo: terminus verò ad summum denominatur, ut ita dicam, extrinsecè respectus à fundamento per Relationem, ergo terminus non est activè respiciens, sed solum est conditio, ut in fundamento resultet Relatio. Conf. tertio, propriissima ratio Relationis ab omnibus assignata est ratio *Ad*, sed terminus nec partialiter est ratio *Ad*, nisi ad summum causaliter, seu occasionaliter, ergo terminus non est omnino pars Relationis. Dices; est id quod respicitur, seu ad quod fundamentum terminatur. Contrà, ergo tota respicientia, seu Relatio tenet se ex parte fundamenti.

Impugnatur secundo; hæc opinio planè tollit omnem Relationem: pater, nam ante positum terminum hic partes non respiciebat alterum, est enim formaliter, & adæquatè quid absolutum, sed posito termino non magis alterum respicit, ergo. Minor probatur, terminus est æquè absolutus atque fundamentum,

II.

Hæc sententia, inquit Okamus, est contra omnes antiquos.

III.

Ex definitione Relationis ostenditur eam non posse consistere in concreto.

IV.

Id quod activè respicit aliud, respicit est solum fundamentum, ergo Relatio, seu respicientia solum est in Fundamento.

V.

Opinio de concreto planè tollit Relationem.

Non magis
ex duobus
absolutis se-
ri potest u-
num respec-
tivum,
quàm ex
duobus albis
unum ni-
grum.

VI.
Ostenditur
ex communi
omnium sen-
su Relatio-
nem esse in
solo Funda-
mento.

VII.
Idem ultro-
ritus decla-
ratur.

tum, nam est tantum paries albus sicut alter, ergo si alter non sit respectivus, neque hic erit, ergo hoc non habet hic paries per terminum, non enim magis potest terminus absolutus dare fundamentum rationem respectivi, quam albedo denominationem dulcis. Dices, saltem utrumque simul hoc habet. Contrà, non minus implicat ex duobus physicè absolutis fieri unum verè & physicè respectivum, quam ex duobus albis unum nigrum, non enim minus inter se differunt respectivum & absolutum, si sermo sit de re, quam album & nigrum. Unde magis consequenter loquutus est Okamus supra n. 2. qui dum hanc sententiam amplexus est, ipso facto contra omnium auctoritatem negandum esse relationem asseruit.

Tertiò est gravis difficultas in materiâ de Relatione, utrum Relatio terminetur ad Relativum, an ad absolutum: hæc autem quæstio in hac sententiâ habere locum non potest, si enim Relatio includat terminum ut partem, nihil est ad quod terminetur, terminus enim nec partialiter terminatur ad se, ergo inanis est hæc quæstio in hac sententiâ. Dices; procedit quæstio de parte tantum Relationis, nempe de fundamento. Contrà, quare ergo non proponunt Philosophi quæstionem de fundamento, sed de Relatione. Certè hinc arguitur manifestè secundum communem omnium sensum, intelligere ipsos Relationem adæquatè tenere se ex parte fundamenti, & respicere seu esse respicientiam ad terminum.

Conf. si in Relatione Patris & Filij ex parte termini nihil aliud sit præter ipsam entitatem termini, Petrum ex. gr. frustra etiam proponeretur hæc quæstio, cum certum sit non posse fundamentum terminari ad respectivum, ubi nihil est nisi absolutum, ergo supponunt omnes esse etiam relationem ex parte Filij.

SECTIO IV.

Præcipua impugnatio sententiæ statuentis Relationem in complexo ex Fundamento & termino.

I.
In sententiâ
de concreto,
idem est esse
Patrem, & esse
Filium, seu
Pater & Fi-
lius.

Quartò itaque impugnatur sententiâ illa Relationem constituens in complexo. Ex hac sententiâ sequitur idem prorsus esse Patrem & Filium, seu esse Patrem & esse Filium, sed hoc dici nequit, ergo. Quod hoc dici nequeat, constat: si enim sit planè idem à parte rei esse Patrem & esse Filium, de quocunque prædicatur ac verificatur unum, prædicari potest & verificari alterum, cum re ipsâ in hac sententiâ non sit unum & alterum: sicut quia idem à parte rei est esse album & esse disgregativum visus, de quocunque prædicatur unum, prædicari potest alterum, quia re ipsâ non est unum ac alterum. At verò manifestè falsum videtur esse Patrem prædicari posse de eo de quo prædicatur esse Filium, magis quam esse dominum de eo de quo prædicatur esse servum, imò quam prædicari esse album de omni eo de quo prædicatur esse calidum.

II.
Ostenditur
sequi idem
esse Patrem
& esse Filium.

Major itaque probatur: Pater, seu esse Patrem in hac sententiâ nihil aliud est, quam duo homines & generatio, Adam ex. gr. & Abel cum actione generativâ ad Abelem terminatâ, sed Filius, seu esse Filium est hoc ipsum adæquatè, seu hæc tres entitates, & nihil aliud, idem enim prorsus est Adam, generatio, Abel, & Abel, generatio & Adam, utrobique enim sunt hæc solæ tres entitates, ergo idem planè est esse Patrem & esse Filium, sicque, ut dixi, de quocunque prædicari potest unum, prædicari poterit aliud, contra communem omnium conceptum, & veritatem.

Ingeniosi quidam recentiores, ut hujus argumenti vim declinent, mirum in quot se partes vertant. Dicunt aliqui Pater, seu esse Patrem est Adamus in recto, & Abel in obliquo, esse verò Filium est Abel in recto, & Adamus in obliquo. Sed contrà, infesto priori argumento, & ostendo adhuc sequi esse prorsus idem Patrem & Filium, seu esse Patrem & esse Filium. Esse Patrem secundum hunc modum respondendi est Adam in recto & Abel in obliquo, è contrà esse Filium est Abel in recto & Adam in obliquo, sed idem prorsus à parte rei est Adam in recto & Adam in obliquo, Abel in recto & Abel in obliquo, ergo si esse Patrem sit Adam in recto, & Abel in obliquo, est etiam Abel in recto, & Adam in obliquo, sicque idem planè est esse Patrem & esse Filium, seu Pater & Filius.

Minor hujus discursus, in quâ solâ est difficultas, probatur: Adam in recto (idem est de Abele) nihil planè aliud est præter Entitatem Adami à parte rei, & Adam in obliquo similiter nihil planè aliud est, quam eadem ipsissima entitas Adami à parte rei, sed entitas Adami non distinguitur à parte rei à seipsâ, ergo Adamus in recto est planè idem ac Adamus in obliquo, ergo hæc distingo non subsistit, & illâ non obstante idem planè est Pater & Filius, & esse Patrem, & esse Filium.

Dices; est diversa acceptibilitas rei in recto & in obliquo, ergo ratione hujus constitui potest distinctio inter esse Patrem & esse Filium. Contrà, acceptibilitas hæc vel distinguitur realiter ab entitate Adami, Abelis, & generationis, vel non, si distinguitur realiter, ergo non consistit adæquatè Relatio Patris in his tribus entitatibus, sicque ulterius inquiri quid acceptibilitas illa ijs superaddit? si verò hæc acceptibilitas non distinguitur à tribus illis entitatibus, redit prius argumentum, & per hanc acceptibilitatem non vitatur difficultas.

Respondent alij secundò: in Relatione præter tres illas Entitates involvi diversam cognitionem, unde inquirunt, Pater seu esse Patrem constituitur per actum intellectus representantem Adamum in recto & Abelem in obliquo, esse autem Filium connotat actum vice versâ representantem Abelem in recto, & Adamum in obliquo. Contrà primò, à parte rei, nemine cogitante datur Relatio, seu esse Patrem, & esse Filium, ergo non constituuntur per actum intellectus. Contrà secundò, Relatio est fundamentum illius conceptus, & eum aliquo modo antecedit, idem enim concipi potest ut Pater, vel ut Filius quia est talis, cum ergo antecederet ad actum nulla sit in hac sententiâ diversitas inter Patrem & Filium, redit denuò prius argumentum. Contrà tertio, hæc cognitio comparat seu cognoscit Patrem relativum ad Filium, sed non cognoscit seipsam, ergo illa non ingreditur constitutionem Relationis. Contrà quartò, Relatio est quid adæquatè physicum, non minus quam esse album, calidum, lucidum &c. Sed hæc denominationes nihil includunt intentionale, seu actum intellectus, ergo nec Relatio.

Tandem dicunt aliqui Patrem esse Adamum, Abelem, generationem, & actum intellectus possibilem, quo representetur Adamus in recto & Abel in obliquo, Filium verò connotare alium actum possibilem, quo è contrà, Abel representetur in recto & Adam in obliquo. Sed contrà, hic enim modus explicandi Relationem easdem ferè patitur difficultates, & novam superaddit, quod scilicet entitates merè physicæ, seu non intentionales, pendeant ab aliquo purè possibili. Imò implicante omni hujusmodi actu, posset dari Pater & Filius.

SECTIO

III.
Solutio de
recto, &
obliquo non
subsistit.

IV.
A parte rei
idem prorsus
est res,
etiam ex ob-
liquum.

V.
Nec recurrit
hic potest ad
diversam
acceptibilita-
tatem.

VI.
Dicunt alij
Relat. in-
cludere di-
versum a-
ctum intel-
lectus.

Contrà, ne-
mine cogi-
tante datur
Relatio,
est qd
adæquatè
physicum.

VII.
Alij denuò
recurrunt
ad actum
possibilem.

SECTIO V.

An Relatio consistat in fundamento connotante terminum ut conditionem.

I. *Opinio Relationem statuens in connotato.*

Alij ergo recentiores sic philosophantur. Relatio, inquit, similitudinis v.g. non constituitur ex fundamento & termino, tanquam ex partibus; nec tamen volunt esse modum aliquem à fundamento & termino distinctum, fundamento extrinsecus advenientem; sed consistere, ajunt, adæquatè in solâ entitate fundamenti per se respiciente terminum. Quia autem varij sunt modi hanc opinionem explicandi, singulos referemus.

II. *Primus modus est, posito termino emergere novam formalitatem.*

Dicunt ergo aliqui, Relationem consistere in novo quodam connotato, & formalitate in fundamento ad positionem termini emergente, non tamen realiter à fundamento distinctâ: in quâ opinione videtur esse P. Suar. d. 27. Met. sect. 2. num. præcipuè 25, licet non omnino clarè constet de ejus mente: eam saltem amplectuntur plurimi recentiores. Urgentem pro novâ hac formalitate rationem non video; præcipua quæ ab ejus auctoribus afferitur, est, non esse multiplicanda Entia sine necessitate: ad quam rationem decursu hujus tractatus respondetur.

III. *Contrâ, nova actio terminatur ad hanc formalitatem, non ad fundamentum, ergo realiter distinguitur.*

Impugnatur hic modus philosophandi, primò, quæcumque nova vel entitas vel formalitas est in fundamento, emergit vel producitur de novo, alioqui erit à se, ergo datur ad eam nova actio productiva, sed nova actio realiter distincta, non potest terminari nisi ad terminum realiter distinctum, nam non est cur terminetur ad fundamentum, cum hoc habuerit ante suam actionem conservativam, ergo distinguitur realiter à fundamento, quæ enim diversa actione primò producuntur naturaliter, distinguuntur realiter. Conf. jam est illa formalitas, & emergit in fundamento, antea ibi non erat; termino item perente perit manente fundamento, ergo distinguitur realiter ab eo, hoc enim est præcipuum signum distinctionis realis, ut apud omnes est in consensu.

IV. *Sequitur idem physicè produci, & non produci.*

Secundò, hinc sequeretur idem Physicè primò produci de novo, & non produci: patet sequela, hæc formalitas jam producitur de novo, sed fundamentum non producitur de novo, & tamen hæc formalitas est idem realiter cum fundamento, ergo idem realiter producitur & non producitur, seu emergit & non emergit.

V. *Hinc etiam sequitur omnes actus vitales esse solum novam formalitatem.*

Tertiò, ex hoc modo philosophandi multa sequuntur à Philosophiâ planè rejicienda, si enim posito termino potest Relatio emergere, quæ non sit quid realiter distinctum, sed nova solum formalitas, quidni eodem modo dici poterit visionem nihil esse aliud, quàm novam aliquam formalitatem in oculo, objecto debetè proposito resultantem, & ab oculo non realiter distinctam. Sicque dici poterit actus vitales nihil esse aliud, quàm ipsas potentias vitales, positis objectis.

VI. *Dici nequit totam essentiam Relationis significari cum fundamento.*

Secundò, dicunt alij nullam emergere formalitatem novam, sed totam Relationem consistere in solo fundamento adæquatè. Contrâ primò, hoc videtur inintelligibile, nam paries A jam est similis alteri, postea non est similis, ergo perit in illo similitudo, ergo similitudo non erat solum fundamentum, solus nimirum paries A, sed aliquid vel realiter, vel saltem formaliter ab eo distinctum: si enim tota essentia Relationis nihil aliud sit, quàm entitas parietis præcisè, manente entitate parietis, maneat etiam necesse est tota essentia Relationis.

VII. *Conf. destructo pariete B perit Relatio, quam*

paries A ad illum dicebat, sed non perit Relatio quam paries A dicebat ad parietem C vel D, ergo sunt Relationes distinctæ, sed entitas parietis A non est distincta à se, sed omnino eadem, ergo vel est admittenda formalitas illa jam rejecta, vel aliquid aliud realiter à solo pariete distinctum.

SECTIO VI.

Alius modus Relationem explicandi per connotata.

Alij tandem dicunt, nullam hujusmodi formalitatem in fundamento emergere, Relationem tamen in fundamento constituunt, & cum ipso identificatam; non sumendo fundamentum quomodocunque, sed fundamentum, ut ajunt, in his vel illis circumstantijs, ita ut terminus aliquo modo ingreditur, sicque dicunt nulla hinc sequi contradictoria, extrema enim non eodem ordine participantur, paries enim in his circumstantijs est quoad verificationem propositionum diversus à se ut in alijs. Unde inquirunt, paries existente altero pariete est illi similis, illo autem non existente, non est illi amplius similis. Quod autem jam non sit similis, & erat similis antea, non sunt contradictoria, nam paries, inquirunt, in his circumstantijs potest recipere diversam denominationem à se, ut in alijs circumstantijs, nam in diversis circumstantijs est aliquo modo à se distinctus.

Has ergo conditiones & circumstantias esse volunt hi auctores connotata essentialia formalia, & non veluti effectiva, ut eas statuere videbatur prior modus explicandi Relationem sect. præcedente positus. Sicque ajunt has circumstantias aliquo modo ingredi conceptum Relationis, non ut partes, sicut asseruit opinio Nominalium sect. 3. & 4. impugnata, sed media quâdam viâ procedunt: hanc tamen denominationem fundamento ab his circumstantijs provenientem vocant partem intrinsecam, partem extrinsecam, sicut illi.

Hæc doctrina in aliquibus admitti forsan potest, & satis apta videtur ad difficultates varias solvendas, & melius sine dubio loquitur, quàm opinio sect. 3. relata: at in Relatione videtur esse peculiaris ratio, cur non hic admittatur, Relatio enim, ubicunque est, est secundum Philosophorum conceptum verus respectus, & vocatur ab Aristotele, S. Thoma, & alijs vera respicientia, item nexus, vinculum &c. sed non potest intelligi de novo in subjecto absoluto vera respicientia, ex merâ positione connotati extrinseci, nisi vel reverter nova formalitas in fundamento, vel addatur modus aliquis, aut forma, cujus effectus formalis sit aliud respicere; vera enim respicientia non magis oriri potest in re absolutâ sine aliquo ex parte illius rei superaddito, quàm albedo aut alia quævis qualitas: nec enim magis videtur posse aliquid reddi de non respectivo verè respectivum sine aliquo illi superaddito, si sermo sit de re, quàm de non albo verè albo.

Secundò, hæc etiam urget quod attulimus contra primum modum explicandi sect. præcedente relatâ, si enim possit aliquid de non respiciente transire ad respiciens sine aliqua respicientia, vel Relatione superaddita, cur non poterit quis transire de non vidente ad videntem sine visione superaddita? Unde sicut dicunt parietem respicientem alium, nihil aliud esse, quàm parietem in his circumstantijs, ita quidni dici possit potentiam videntem nihil aliud esse, quàm potentiam visivam in his circumstantijs, id est, eum debita propositione objecti apti?

Dices

I. *Alij dicunt Relationem esse fundamentum in his circumstantijs.*

II. *Differentia inter hunc modum statuenti Relationem, & alios.*

III. *Hic modus dicitur in Relatione non potest admitti.*

IV. *Sequitur posse aliquem reddi videntem sine visione superaddita.*

V.
Visio erit po-
tentia, visio
in his
circumstan-
tijs.

VI.
Tam Relatio
est actus se-
cundus in
suo genere,
quam visio
in suo.

VII.
Terminus
absolutus
non potest
reddere fun-
damentum
respectuum.

VIII.
Hac senten-
tia in re, ex-
dem est cum
sententia
Nominalium.

IX.
Terminus
in hac sen-
tentia est
pars Rela-
tionis.

X.
Terminus
secundum
hos auctores
constituit
Relationem
in genere
causae quasi
formalis.

Dices; disparitatem esse, quod visio sit vera actio, & vitalis. Contra; & Relatio est vera respicientia: sicut ergo Relatio, & verus respectus, secundum hos auctores nihil aliud est, nisi fundamentum in his circumstantijs, ita actus vitalis nihil erit aliud, quam potentia vitalis in ijs circumstantijs.

Conf. primò, sicut visio dicitur actus secundus seu actuale exercitium potentiae visivae, ita Relatio ab Aristotele & Philosophis communiter vocatur actuale exercitium, cuius essentia sit actu referre, & respicere, & esse ad, sicque esse quasi actum secundum fundamentum per se absolutum, & indifferentem, ac veluti in actu primo ut referatur, vel non referatur, transit verò in actum secundum per Relationem.

Dices; actio productiva tenet se ex parte effectus, imò aliqui dicunt ab eo non distingui, & tamen denominat causam agentem, ergo etiam poterit denominari fundamentum respiciens per solum terminum, vel per aliquid tenens se ex parte solius termini. Nego consequentiam: disparitas est, quia terminus hic est aequè absolutus atque fundamentum, unde non habet in se Relationem magis quam fundamentum effectus autem habet, ut supponimus, in se veram actionem, vel productionem, per quam denominatur verè productus, & causa similiter verè produciens.

Tertio, impugnatur hic modus loquendi quoad Relationem; dicunt enim parietem esse similem non esse parietem quomodocunque, sed parietem posito altero, seu in his circumstantijs, ita ut alter paries aliquo modo Relationem ingrediatur non quidem, inquit, ut pars, sed ut connotatum. Impugnatur, inquam, hic enim modus Relationem explicandi in re idem est cum illo Nominalium sect. 3. r. lato, licet discrepent quoad modum loquendi, illi enim dicunt Relationem esse hunc parietem & illum, hi hunc cum illo, quod reipsa est omni id idem, sicque incidit hæc sententia, in questionem de nomine. Unde eodem modo impugnatur hæc sententia, quo illa.

Dices; terminum in hac sententia non ingredi propriè Relationem, sed eam adæquatè se tenere ex parte fundamenti. Contra ergo tota essentia Relationis est fundamentum solum, sed antea erat fundamentum, ergo antea erat tota essentia Relationis, ergo antea erat Relatio, vel si tota Relatio non erat ante productum terminum, ergo terminus est pars Relationis, sicque velint nolint recidunt hi auctores in opinionem Nominalium.

Quod ulterius sic declaratur: posito termino, est Relatio, quæ non erat antea, ergo hæc diversitas fit per terminum, vel in genere causæ quasi efficientis, vel formalis: non primum, sic enim deberet aliqua nova formalitas emergere in fundamento, quod hi auctores maxime avertantur, & merito; ergo secundum, seu in genere causæ quasi formalis, ergo terminus aliquo modo ingreditur essentiam Relationis tanquam aliquid spectans ad illius constitutionem; quod si dicatur, jam hæc sententia planè non discrepat ab opinione Relationem statuente in concreto, quam s. 3. & 4. impugnavimus.

SECTIO VII.

Refertur sententia Relationem statuens in modo à fundamento & termino distincto.

I.
Sententia
statuens Re-
lationem in
modo à Fun-

Tertia itaque, eaque in scholis celeberrima sententia est Relationem, ubicunque est, in modo à Fundamento & termino distincto, situm esse: ita Cajet. 1. p. quest. 28. a. 2. Ferrar. 4. conq. Gen. cap. 14.

Capreol. in 1. d. 30. qu. 1. Bannes 1. p. quest. 28. art. 2. Sotus de prædic. Relat. q. 2. Fonsec. 5. Met. c. 15. q. 2. sect. 1. Conimb. de Relat. c. 7. q. 1 a. 4. Io. à S. Thom. q. 17. de prædic. Relat. a. 4. Quod etiam docere videretur Scotus in 2. d. 1. q. 5. & in 3. d. 8. quest. tenet etiam Rub. c. 7. de Relat. q. 14. Murúa de Relat. d. 1. q. 5. & alij.

Hæc sententia videtur expressè esse de mente S. Thomæ 1. p. qu. 28. a. 2. ad 2. ubi sic habet: *Sicut in rebus creatis, in illo quod dicitur relative, non solum est invenire respectum ad alterum, sed etiam aiquid absolutum, ita & in Deo: sed tamen aliter & aliter, nam id quod invenitur in creatura, præter id quod continetur sub significatione nominis relativi est alia res, in Deo autem non est alia res, sed una & eadem.* Ubi cum generatim loquatur S. Doctor de omni Relatione, non potest restringi, quod vult P. Hurt. ut loquatur de Relatione fundatâ in qualitate, nam tunc non completè respondisset objectioni, quam libi p. opposuit ex S. Augulino, quæ procedebat de omni re.

Nec etiam satisfacit quod secundò respondent P. Hurt. hic d. 1. s. t. c. 2. n. 12. & alij S. Thomam per aliam rem in Relatione creatâ intelligere terminum, & solum dicere S. Doctorem Relationem distinguere inadæquatè à termino, tanquam totum à Thomæ parte. Hoc, inquam, non satisfacit, assignat enim in eo differentiam inter Relationem creatam & increatam, quod in hac non sit alia res; at verò si per aliam rem intelligeret terminum, tam in Relatione increatâ esset alia res, quam in creatâ, cum utraque habeat terminum; ergo, ut clarum est ex contextu, intelligit per aliam rem S. Thomas aliquid respectivum fundamento absoluto adveniens, illudque informans, quod non fit in Divinis.

Sed clariùs adhuc loquitur S. Doctor, 4. contra Gent. cap. 14. a. 1. ubi Relationem Paternitatis & Filiationis in creatis vocat accidentia, & in hoc eas ubi S. Thomas distinguit a Relationibus Divinis, quæ, inquit, sunt substantia, sed entitas patris & Entitas filij in creatis sunt substantia, non accidentia, ergo Relatio non est Entitas patris & filij, secundum S. Tho. sed aliquid accidentale superadditum. Deinde universim addit his verbis: *Relatio realiter adveniens substantia, & postremum & imperfectissimum esse habet, quia non solum præexistit esse substantia, sed etiam esse aliorum accidentium, ex quibus causatur Relatio, sicut unum in quantum causatur aequalitatem, & unum in qualitate similitudinem;* quid clariùs? Hoc autem non potest explicari, nisi primò realiter distinguatur Relatio à fundamento, nihil enim causare potest seipsam; & à fundamento & termino, nam illud unum seu complexum non potest dici causare Relationem, si ab eâ non distinguatur, sic enim adhuc idem causaret seipsam. Deinde, ait S. Thomas Relationem præexistere existentiam aliorum accidentium, ergo Relatio secundum ipsum non est illa accidentia.

Idem q. 8. de potentia, a. 2. ait, substantiam creatam non posse sibi identificare Relationem quæ est quid desinitum, in quo, inquit, differt ab essentia Dei, quæ cum infinita sit, potest alia sibi identificare. Quod si asserat S. Thomas substantiam creatam non posse secum identificare Relationem ob imperfectionem, multò certè id magis affirmaret de accidentibus, quæ sunt imperfectiora substantiâ.

Idem præterea habet S. Doctor 1. p. qu. 13. a. 7. & clariùs 2. contra Gen. c. 1. per totum, præcipuè ubi ubi idèò probat Deum non referri ad res in tempore productas per Relationem realiter in ipso existentem, quia non mutantur, & n. 4. id ipsum prolequitur, dicens, *quicquid, aliquid de novo advenit necesse est illud mutari vel per se vel per accidens. Si igitur, ait, prædicaretur aliqua Relatio realiter in Deo existens, sequeretur quod aliquid Deo*

Deo de novo adveniret, & sic quod mutaretur, vel per se, vel per accidens. Alius locus S. Thomæ pro Relatione distincta ponitur infra, sect. 17. n. 2.

VII. *Obj. Opusculum 48.* Ad hanc auctoritatem D. Thomæ respondet P. Hurt. d. 15. Met. sect. 2. §. 12. non posse rationem illam reddi à D. Thom. cum ipse opuscul. 48. tract. §. cap. 1. dicat, *Relationem contingere sine ulla mutatione fundamenti.* At utrum poterit reddi hæc ratio à S. Thoma, vel non, dubitari non potest, cum ex verbis citatis, clarè constet ipsum eam reddidisse.

VIII. *In verbis de sumptis ex opuscul. 48. non potest solide fundari illa opinio.* Verba ergo in illo opusculo explicari debent juxta hæc, non hæc juxta illa, præsertim cum hæc verba sint consona alijs pluribus locis ex S. Thoma alatis, quæ mutuo se confirmant. Deinde; non est dubium quin hic liber sit scriptus à S. Thoma, & inter nobilissima illius opera numeratur, de opusculo autem illo est dubium, quæ de causâ alio charactere inter illius opera imprimitur, ut ostendatur dubiam esse opusculi illius fidem: ut advertit Bellar. circa opera S. Thomæ observatione secunda: Unde in hac auctoritate S. Thomæ fundari opinio non potest: cum tamen hic sit unicus locus alicujus momenti, quem pro se afferunt Nominalium fautores.

IX. *Explicatur Opusculum illud 48.* Intelligi ergo debent verba illius opusculi contingere Relationem sine mutatione subjecti per se, non tamen sine mutatione per accidens, ut loco contra Gentes proximè citato loquitur; nam ex eo quod vel ponatur, vel mutetur terminus, resultat per accidens Relatio in fundamento, & sic mutatur per accidens ad mutationem per se terminatam ad aliud: ut postea videbimus.

SECTIO VIII.

Ratione suadetur sententia statuens Relationem distinctam.

I. *Ratio esse Ad arguit Relationem distinctam à Fundamento & Terminis.* Probatur primò: Relatio in essentiali suo conceptu dicitur duo, primum est esse in, per quod convenit cum omni alio accidente: alia ratio, & maximè propria Relationis, quia ab omni alia re eam distinguit, est esse ad, quæ est vera respicientia, quæ res una absoluta respicit aliam. Cum ergo in re aliquâ absolutâ tam sit vera respicientia, cum tamen antea non fuerit, arguitur debere eam de novo illi advenire, sed non potest advenire ut formalitas, ut supra probavimus, ergo ut quid realiter destinatum.

II. *Communis loquendi modus probat Relationem distinctam.* Probatur secundò ex communi loquendi modo omnium, qui non est parvi momenti in hac materia: vocant ergo omnes Relationem verum ordinem, respicientiam, respectum &c. ergo ubicunque est Relatio, est hujusmodi verus respectus, sed ante positionem termini non erat hujusmodi verus respectus, seu respicientia activa vel ratio essendi ad, posito termino est, ergo vel est nova formalitas, vel modus distinctus superadditus.

III. *Cum Relatio sit actualis exercitium, idem est eam esse & referre.* Dices, ante positionem termini non fuisse quidem illam actualem respicientiam absolutè, fuisse tamen conditionatè. Contrà primò, fuisse ibi Relationem conditionatè, dicit fuisse quidem, sed non exercitium, se rationem referendi, hoc autem implicat; cum enim Relatio sit actualis exercitium, essentia ipsius est actu, non conditionatè vel potentia respicere, sicut est essentia unionis actu, non potentia unire, & actionis agere. Unde sicut hæc existere non possunt, quin uniant & agant, ita nec Relatio quin actu referat, & respiciat.

IV. *Ostenditur non fuisse Relationem.* Contrà secundò, eodem modo ut supra ostendi, posset quis dicere dum videtur objectum, non elici aliquem actum de novo, sed potentia quæ antea erat videns conditionatè, nunc per se esse videntem ab-

solutè, & ex merâ positione objecti sine ullo superaddito transire de conditionatâ ad absolutam, & eadem facilitate posset defendi unum atque alterum; si enim arguatur ratione, nihil pro visione distinctâ à potentia vitali afferri potest, quod non urget in Relatione: si enim dicatur dari debere actum, fatebimur, sed dicemus actum esse ipsam potentiam, quæ ante positionem objecti erat visio, seu actus conditionatè, post objecti positionem actus absolutè, sine ullius additione de novo, præterquam objecti, sicut philosophantur hi auctores de Relatione.

V. *In conditionatis aliud est de moralibus, aliud de physicis.* Et licet fortè in re aliquâ morali possit quid transire de conditionato ad absolutum, ex merâ positione conditionis, ut si Princeps aliquis subdito dicat, si eras filius meus pro te non intercesserit, exula, censetur mandatum principis transire de conditionato in absolutum, ipso facto quod Regis filius pro eo non intercesserit: at in physicis, ubi jam est vera respicientia, & antea non erat, hoc non magis fieri potest sine aliquo ex parte fundamenti superaddito, quàm ut quis de novo videat ex merâ extrinsecâ positione objecti, ut dictum est.

VI. *Relatio dicitur nexus, si est quid medium inter fundamentum & terminum.* Conf. ratio assignata: vocatur enim Relatio communiter nexus, vinculum, unio, & actualis ordo reat, liter referens unum ad aliud, & aliquid medians inter utrumque, ac proinde realiter ab utroque distinctum, quod enim inter duo extrema mediat, realiter ab utroque distinguatur necesse est. Imò S. Thomas q. 3. de potentia, docet ponendas esse Relationes, ut omnia habeant ordinem formalem inter se, nam absoluta, inquit ille, non connectuntur seipsis, cum se non respiciant, si enim absoluta non essent, sed omnia respicientia. Ubi etiam addit S. Doctor esse maximum boni universi, ut omnia hoc modo uniantur, & connectantur, seu coordinentur inter se; quam ait unum esse ex præcipuis causis cur ponendæ sint Relationes.

VII. *Aristoteli statuitur Relationem à Fundamento & Terminis distinctam.* Tertio probatur hæc sententia ex Aristotele, qui dicit Relationem similitudinis & æqualitatis fundari in unitate, quod etiam fateatur adversarij, ut videre est apud P. Hurt. d. 15. Met. sect. 10. subf. 2. §. 98. ergo illa unitas duorum parietum in albedine, vel quantatum in mensurâ palmari, non est formalis Relatio, sed fundamentalis tantum juxta Aristotelem, ergo formalis Relatio debet esse aliquid utriusque entitati superadditum; consequentia videtur manifesta, nam si illa unitas utriusque parietis in albedine, seu uterque paries coexistens albus sit solum fundamentum Relationis, ergo formalis Relatio est aliquid ipsis superadditum, sed nihil potest aliud superaddi præter modum realiter distinctum, ergo Relatio juxta Aristotelem est modus à fundamento & termino distinctus.

VIII. *Juxta Aristoteli sunt Relationes non mutue, ergo Relatio non est concretum.* Conf. peculiariter contra sententiam Nominalium statuentem Relationem in concreto: nam juxta eundem Aristotelem, & communem sententiam, dantur Relationes aliquæ non mutue, sic enim ait Aristoteles quædam dici relative, quia alia referuntur ad ipsas, sed secundum sententiam Nominalium nullæ erunt Relationes non mutue, ut est manifestum, ergo. Ob quod inquit P. Suar. d. 47. Met. f. 15. n. 20. censenda est illa opinio minus probabilis, estque contraria Aristoteli & veritati.

IX. *Præcipua verò probatio hujus sententiæ sunt refutationes aliarum, quæ posite sunt supra sect. 3. 4. 5. & 6. si enim Relatio consistere nequeat, nec in concreto ex fundamento & termino, ut volebant Nominales, nec ex fundamento connotante terminum, aut formalitate superadditâ, ut dicebant alij, necessarium est ut consistat in modo, fundamento & termino superaddito.*

SECTIO IX.

Argumenta quædam contententia Relationem non esse modum realiter à fundamento & termino distinctum.

I. Solum negat Aristoteles motum per se ad Relationem.

Objicitur primò Aristoteles 5. Phys. tex. 10. & 11. dicens non dari motum ad Relationem, quia fit ad mutationem alterius. Resp. solum illic negare Aristotelem motum per se ad Relationes, sicut eodem loco negat etiam dari motum ad substantiam, ad quam tamen certum est terminari actionem. Unde tandem & de substantiâ, & Relatione concludit his verbis: *eorum motus ex accidente est*. Ex quibus verbis manifestè deducitur Aristotelem eo loco stare à sententiâ Relationem à fundamento & termino distinguente, quia simpliciter ait dari motum ad Relationem, licet sit solum *per accidens*, id est oriatur ex positione, seu productione alterius rei, ut producta albedine in alio pariete, resultat in hoc relatio similitudinis.

II. Quid sit dari ad aliquid motum per se, & motum per accidens.

Tunc autem dicitur dari motum *per se* ad aliquid, quando illud directè & immediatè per motum requiritur, ita ut non supponatur prius motus ad aliquid aliud: motus autem *per accidens* dicitur quando aliquid sequitur quasi ad motum, vel productionem alterius, ut in substantiâ contingit, quæ resultat ad productionem accidentium, & in Relatione, quæ sequitur ad positionem termini. Alio etiam modo intelligi potest dari motum *per accidens* ad Relationem, nempe ex parte agentis, vel naturæ: cum enim quis dealbat parietem, vel natura producit florem, id quod intenditur ab illo est paries albus, ab hac flos: quod verò in alio flore vel pariete resultat relatio similitudinis ad productionem horum, nec cæmentarius primariò intendit, nec natura.

III. Quo sensu dicat Aristoteles Relationem non esse ens.

Objicitur secundò Aristoteles 14. Met. c. 3 ubi dicere videtur Relationem non esse ens, Resp. cum interpretibus communiter solum velle Aristotelem Relationem esse minimæ entitatis, sicque penè videri non esse ens respectu aliarum rerum, ut etiam omnes modi respectu substantiæ, & creaturæ dicuntur non esse entia respectu Dei. Secundò, dici potest Relationem esse non ens nec habere productionem vel corruptionem, quæ sensibus pateat, quâ ratione frequenter loquitur Aristoteles.

IV. Quod tot frequenter pereant Relationes, nihil incommodi.

Objicitur tertio si Relatio sit modus à fundamento & termino distinctus, sequi quoties entitas aliqua minutissima ubivis gentium perit fieri mutationem in omnibus rebus, & tot momentis penè singulis perire Relationes quod sunt in universo res distinctæ, Quanta strages Relationum. Contrà primò, perente minimâ entitate pereunt in aliâ sententiâ tot formalitates, quot sunt res in universo: in sententiâ Nominalium tot complexa. Quanta strages formalitatum, quanta complexorum!

V. Res etiam alie maximo numero frequenter pereunt.

Contrà secundò, in sententiâ actiones rerum omnium conservativas statuente identificatas cum duratione momentis singulis pereunt actiones omnes. Item flante vento species omnes objectorum omnium in toto aëre, utpote quæ non nisi lineâ rectâ ad oculum veniunt, destruuntur. Cur harum interitum non desent ii, quos Relationum clades ita tangit, & in earum funere adeo lamentantur?

VI. Res Relationibus longe præstantiores magno numero faciliè eorum perunt.

Tertio, in opinione P. Hurt. & aliorum recentiorum assertentium dari unionem spirituales indivisibiles inter animam rationalem & corpus, sequitur singulis momentis ratione nutritionis, tot perire uniones spirituales, quot sunt homines in universo, quarum tamen quælibet præstantior est omnibus

firmè Relationibus. Quod etiam affirmari debet de unionem inter animam & corpus Christi, dum erat in terrâ mortalis, imò & de unionem hypostaticâ ad unionem illam terminatâ, quæ sine dubio est excellentior omnibus omnino Relationibus creatis; quæ ut vidimus ex Aristotele sunt tenuissimæ entitatis, & entium propè omnium entia imperfectissimæ. Qui parci in reculis quibusdam sunt, & Relationibus, en quam in nobilioribus entitatibus sunt prodigi.

Resp. itaque, cum spectet ad bonum universi, ut supra vidimus ex S. Thomâ, ut omnia inter se mutuo quodam nexu, & perpetuo vinculo constringantur, non debet mirum videri, si tenuis hujusmodi entitates hoc modo pereant, cum ob bonum universi, & ut perpetua in eo sit vicissitudo, videamus singulis penè momentis res quasque perfectissimas, & nobilissimas formas destrui. Adde hoc etiam spectare ad pulchritudinem universi, ut sicut sunt in eo quædam entia, quæ ex naturâ suâ petunt semper manere, cum sint incorruptibilia, ut celi & Angelis, alia quæ medium quasi tenent, & per tempus aliquod ac spatium durare possunt, licet naturâ suâ corruptibilia sint, ut homines, animalia, plantæ &c. ita etiam sit series quædam entium, quæ ut tenuissimæ entitatis, ita & brevissimæ sint durationis, petantque momentis penè singulis interire.

Objicies quartò: si realiter distinguatur Relatio à fundamento & termino, ergo conservari poterit à Deo sine illis. Nego consequentiam, cum enim sit modus, & essentia modi sit actu afficere subiectum, non potest esse, & illud non afficere: Multa etiam sunt quæ realiter distinguuntur, quorum tamen unum sine alio esse non potest, ut creatura & Deus, visio intuitiva & objectum in probabili sententiâ, Ubi & spatium &c.

Objicies quintò: saltem possunt duo parietes conservari sine Relatione, & tunc essent similes, ergo Relatio non est similitudo. Resp. hoc æquè vigere omnes, qui ponunt ubi distinctum, atque urget hanc sententiâ. Sicut ergo dicunt ipsi, nec per divinam potentiam posse corpus esse quin in eo rehalter Ubi, ita & dici potest de Relatione, non enim minus petunt essentialiter duo parietes albi esse formaliter similes, seu habere Relationem, quàm corpus petat esse in loco, seu ubicationem. Idem est de partibus qualitatibus in continuo, Deus enim nec per Divinam potentiam potest illos omnes velle, quin velit unitas, licet uniones omnes realiter ab ipsis distinguantur. Sicut tamen potest Deus ubicationes mutare, corpore in eodem loco manente, & puncta similiter ac lineas in quantitate; ita & mutare poterit Relationes, & unam in alterius locum pro libito sufficere.

Responderi potest secundò, sicut aliqui dicunt posse divinitus conservari corpus sine ubicatione, ita & parietes sine Relatione, tunc autem erunt solum fundamentaliter seu negativè similes, id est, non dissimiles & proximè apud ad terminandam Relationem, sicut corpus illud debet tantum fundamentaliter esse in loco, & negativè ut dicunt illi auctores, id est in aptitudine proximâ ut sit formaliter in loco.

Objicies sextò: si Relatio sit quid à fundamento & termino distinctum, & fundamento inhærens, sequitur dari actu infinitas Relationes, cum singula puncta & partes in continuo habere debeant suas Relationes, quibus aliis rebus sunt similia vel dissimilia. Conf. Deus est dissimilis igni aut luci hodie productæ, ergo etiam habere debet Relationem dissimilitudinis. Ad argumentum dico materiam aut quantitatem habere unam Relationem ex partibus

VII. Oportet non esse in convenienti quod tot Relationes pereant.

VIII. Relatio non conservari potest sine fundamento, termino, &c.

IX. Nec existere possunt extrema sine Relatione.

X. Dicunt alii, qui posse extrema conservari sine Relatione.

XI. Materia & quantitas habent aut Relationem ex partibus diversis positam.

tibus & punctis compositam. Ad conf. Resp. aliqua secundum Aristotelem referri, quia alia ad ipsa referuntur, unde Deus refertur extrinsecè per Relationem dissimilitudinis ab igne ad ipsum terminatam, sicque est Relatio non mutua.

SECTIO X.

Alia argumenta contra Relationem distinctam.

I. **O**bjicies septimò: In Divinis Relatio Paternitatis non distinguitur realiter à Patre, nec Filiationis à Filio, ergo nec in creatis erunt accidentia distincta. Nego consequentiam, Essentia enim Divina, cum sit infinita perfectionis, Relationem secum identificat, sicut sapientiam, Justitiam, misericordiam &c. quæ in Divinis sunt realiter & cum essentia, & inter se identificatæ, cum tamen in creatis realiter, & à substantiâ, & à se invicem distinguantur.

II. **O**bjicies octavò: non potest assignari causa produciens Relationem, si sit distincta, quis enim, dum paries aliquis dealbatur Romæ, producit Relationem similitudinis in pariete albo, qui est in Indiis? Resp. duplicem hic intervenire causam, unam directam, & quæ per resultantiam quandam, vel emanationem efficit Relationem, quæ est fundamentum: alia est causa indirecta, & per accidentis, quæ est agens illud, quod dealbat parietem, seu popit terminum, ad cujus existentiam emergit in fundamento Relatio. Rebus enim omnibus innata est hæc vis, ut posito termino per emanationem producant in se Relationes, per quas, ut supra vidimus ex S. Thoma, cum cæteris omnibus rebus ad bonum universi formaliter connectantur: sic si aqua misceatur lacte vel vino, materia ejus non continuatur cum aliâ materiâ, quæ tamen eadem numero, si esset sub formâ aquæ produceret unionem & continuaretur, sicque pendet à connotato.

III. **O**bjicies nonò: ipso facto quod coexistent duo parietes albi, seclusa per possibile vel impossibile omni Relatione reali, erunt similes, ergo superflua est Relatio. Antecedens probatur, esse enim duos parietes similes, in Relatione nihil aliud est, quam hunc parietem habere albedinem sicut habet alius. Resp. primò distinguendo antecedens, posito quod sint similes per veram Relationem, nego antecedens, si non sint similes per Relationem, ac proinde non detur Relatio, transeat, & idem est de Relatione æqualitatis. Secundò responderi solet, in eo casu parietes illos fore tantum fundamentaliter similes, de quo modo respondendi plura postea.

IV. **O**bjicies decimò: numerus quaternarius hominum est per se, & secluso omni alio, vel re, vel modo major binario, ergo Relatio pluralitatis non est modus distinctus. Conf. primò, & inquiri in quo subiecto sit Relatio illa quaternarij? non in singulis hominibus, sic enim esset in diversis subiectis, & in pluribus locis adæquatis, hæc in omnibus simul, quia non faciunt propriè unum subiectum, cum sint formaliter plura. Conf. secundò Petrus & Paulus sunt distincti & diversi sine Relatione, ergo etiam similes & dissimiles.

V. **A**d argumentum Resp. si sit major per Relationem, non esse majorem hijs per modum distinctum ob rationes toties dictas. Probabilius tamen est hic non esse omninò Relationem, sicut etiam dicimus quatuor negationes esse plures quam duas, & sex chimeras quam tres, & tamen nec hæ, nec illæ sunt plures per Relationem, quæ secundum omnes re-

quirit subiectum reale.

Ad Conf. dico, posito quod numerus quaternarius sit major binario, & quod quatuor denominentur plures per Relationem, esse plures per aggregationem Relationum. Sicut enim numerus binarius est ens per accidentis, seu aggregatum, ita & habet aggregationem Relationum per quas refertur, eo enim modo, quo est ens, est unum, & quo unum, relatum. Non ergo est una Relatio in omnibus, nisi una aggregatione, & quoad hoc est diversa ratio de quantitate continuâ, & discretâ.

Ad secundam confirmationem dico, esse Petrum & Paulum distinctos formaliter per suas entitates: & ratio est, quia non distinguuntur per Relationem prædicamentalem, sed quasi transcendentalem. Quod exinde constat, nam æquè Petrus distinguebatur à Paulo ante productum Paulum, atque postea, æquè enim est jam verum dicere Petrus non est Anti-Christus, ac Petrus non est Paulus, quod est signum distinctionis, & Deus ab æterno erat formalissimè distinctus à rebus omnibus possibilibus & futuris. Imò à Philosophis communiter omnium maxima distinctio dicitur ea, quæ est inter rem & ejus negationem, seu inter ens & non ens, & inter rem realem & Chimæram, & tamen secundum communem etiam eorum sententiam contra Gregorium, ut videbimus, non potest dari Relatio prædicamentalis ad terminum non existentem, negationem, vel Chimæram, ergo dispar longè ratio est in communi sententiâ de ratione distinctionis & dissimilitudinis. Non tamen est improbabile, quod aliqui dicunt, cum de novo produciatur res aliqua, resultare in rebus existentibus Relationem distinctionis ad eam, non per quam distinguantur ab illâ, sed per quam referantur ut distinctæ.

Objicies undecimò: Relationem ipsam Prædicamentalem, si distinguatur à fundamento & termino, esse transcendentalem, tam enim respicit essentialiter fundamentum & terminum per se, & dicit essentialem ordinem ad illa, atque visio, actio, vel unio, sed hæ sunt Relationes transcendentales, ergo & Relatio prædicamentalis erit transcendentalis. Resp. posse hic quæstionem esse de re, & de nomine. Quæstio de re est, num ad hoc ut dicatur fundamentum referri, & verè respicere terminum, requiratur modus aliquis superadditus ipsis entitatibus fundamenti & termini, & hoc dicimus esse omninò necessarium ob rationes dictas. Hoc si admittatur, vocetur A, vocetur B prædicamentalis vel transcendentalis nil refert, cum constet de re.

In quibusdam ergo convenit, in alijs differt à Relatione transcendentali. Convenit, quod æquè essentialiter pendeat à suo subiecto, ac quivis alius modus: differt tamen quod non transcendat varia prædicamenta, & genera rerum, sicut illa, quæ de causa vocatur transcendentalis, estque plerumque res absoluta, ut ignis, sol, coelum &c. Item Prædicamentalis Relatio est accidentalis fundamento; Transcendentalis verò, quæ est purè talis, est ipsa entitas fundamenti. Deinde, respicit terminum ut purè terminum, ut supra diximus sec. 2. n. 8. & cum requirit existentem, quod Relationi Transcendentali, saltem ex genere suo, non competit. Quod si in multis conveniat Relatio Prædicamentalis cum visione, actione, unione, & alijs hujusmodi, est quia hæ non sunt purè Transcendentales Relationes, sed aliquo modo Prædicamentales, imò ab aliquibus vocantur Prædicamentales.

Ad argumentum Resp. si sit major per Relationem, non esse majorem hijs per modum distinctum ob rationes toties dictas. Probabilius tamen est hic non esse omninò Relationem, sicut etiam dicimus quatuor negationes esse plures quam duas, & sex chimeras quam tres, & tamen nec hæ, nec illæ sunt plures per Relationem, quæ secundum omnes re-

VI. In quo subiecto sit Relatio numeri quaternarij.

VII. Ratio cur Petrus & Paulus non distinguantur per Relationem prædicamentalem.

Relatio distinctionis.

VIII. Obi. Relatio ipsa Prædicamentalis est Relatio Transcendentalis.

IX. Resp. Relationem Prædicamentalem in quibusdam convenit cum Transcendentali in quibusdam differt.

SECTIO XI.

Argumentum de processu in infinitum in Relationibus.

I. **M**ultiplex est hoc argumentum; novæque semper ita se in eo difficultates ingerunt, ut, quid sit de Relationibus, in difficultatibus certè dari videatur processus in infinitum. Rem qua poterò brevitate percurram.

II. **Ob**ijcitur ergo, non solum fundamentum est simile termino per Relationem, sed ipsa etiam Relatio est vel similis vel dissimilis eidem, ergo per aliam Relationem: quod idem argumentum conficitur de secundâ Relatione, & sic in infinitum. Resp. potest primò, Relationem similitudinis nec esse similem, nec dissimilem propriè loquendo; nisi solum ut quo, non magis quàm albedo est alba, vel calor calidus; nisi ut quo, sed esse ipsam similitudinem & dissimilitudinem: unde non potest esse similis vel dissimilis, sicut nec albedo alba.

III. **D**ices; unio dicitur unita. Conf. primò, præsentia dicitur præsens. Conf. secundò; Quantitas etiam dicitur quanta. Ad duo prima dico, nec unionem dici unitam, nec præsentiam præsentem, nisi ut quo, id est, illas esse rationes quibus materia unitur formæ, vel corpus loco. Ad secundam confirmationem dico hanc propositionem *Quantitas est quanta* posse habere duplicem sensum: primò *Quantitas est quanta*, id est, extensa, quod cum non à quantitate proveniat, sed ab ubicatione, seu extensione locali, nil mirum, si propositio in hoc sensu sit vera. Alius sensus est, *Quantitas est quanta*, id est, habens quantitatem, vel est informata quantitate; & hoc sensu est falsa propositio non minus quàm hæc *Albedo est alba*, *calor est calidus* &c. quæ ab omnibus censentur falsæ. Quod clariùs constat in modis, actio enim, seu productio non dicitur producta, nisi ut quo.

IV. **R**atio à priori est, quia essentia cuiusque formæ est tribuere alteri effectum formalem, non sibi, quia non est forma respectu sui ipsius, sed alterius. Quod si in prædicatis Metaphysicis formæ illæ tribuant denominationem ei, quod est realiter cum ipsis identificatum, ut in hac & similibus propositionibus, *Homo est animal*, *Homo est rationalis*, saltem debent formaliter distingui, seu eo modo, quo sunt formæ. Denominationes autem *albi*, *similis*, *calidi* &c. sunt denominationes physice, seu provenientes à formis physicis, ac proinde requirunt physicam à subjecto distinctionem, seu eo modo distinctionem, quo sunt formæ, & illud subjectum.

V. **S**ecundò resp. ad argumentum in initio propositum, Relationem non posse referri aliâ Relatione, utpote quæ est ultimum in eo genere, si autem aliâ Relatione referretur, non esset ultimum; sicut nec unio ob eandem rationem potest per aliam unionem uniri. Dices; cognitio potest cognosci aliâ cognitione, ergo & Relatio aliâ Relatione referri. Nego consequentiam. Primò enim cognitio non est modus, sicut Relatio. Deinde, hoc est peculiare in cognitione, quæ est quid reflexivum, etiam supra se, ut cum quis dicit, *omnis cognitio est representatio*. Item terminatur cognitio promiscuè ad terminum existentem, & non existentem, positivum & negativum, possibilem & impossibilem; non est ergo par ratio de Relatione & cognitione. Et dicant qui hoc obijciunt, cur non æquè unio informationis possit aliâ unione informationis uniri, ac cognitio aliâ cognitione cognosci?

VI. **D**ices; probare hæc quidem Relationem per se

referri, cum sit quid essentialiter respectivum: hinc tamen non tollitur difficultas, nec enim solum refertur Relatio ad alias res; sed fundamentum refertur ad ipsam Relationem similitudinis ex. gr. ergo per aliam relationem, per se enim referri nequit, cum sit quid absolutum. Resp. fundamentum referri ad illam Relationem similitudinis per ipsam Relationem, quæ eo ipso quod refertur fundamentum ad terminum, unum scilicet parietem album ad alium, eadem operâ refert fundamentum ad seipsam. Sicut unio, eo ipso quod materiam uniat formæ, eandem materiam unit sibi.

VII. **U**rgebis; hæc Relatio inter duas albedines est Relatio similitudinis, ergo non potest quidquam referre, nisi ut simile, sed fundamentum quantumvis simile termino, est tamen dissimile Relationi, ergo non potest fundamentum ad se referre, si enim daret fundamento denominationem, quam in se non habet, cum tantum sit Relatio similitudinis. Resp. eandem entitatem respectu diversorum tribuere posse diversas denominationes, eadem actio ex. gr. per quam unio inter animam & corpus producit, respectu unionis est productio, respectu animæ introductio, & sic de aliis, ut latius ostendi in lib. de Gen. d. 3. l. 4. n. 7. Hæc itaque Relatio, licet ut est Relatio similitudinis referat fundamentum ad terminum, ad se tamen refert fundamentum ut dissimile; sicut eadem ubicatio arborem aut domum reddit terræ propinquam, & à cælo distantem.

VIII. **R**elatio ergo similitudinis est per se similis aliis omnibus relationibus ejusdem rationis, & per se etiam dissimilis aliis omnibus rebus tam relativis, quam absolutis. Quod non est mirum, cum in aliâ sententiâ dicant illius auctores Petrum per suam entitatem esse similem Paulo, & aliis hominibus, aliis vero omnibus rebus dissimilem.

IX. **R**elatio prioris & posterioris, si qua sit, videtur solum quasi transcendentalis, cum non requirat terminum existentem, imò essentialiter requirit terminum pro aliquo saltem tempore non existentem, res enim quæ est prior petit essentialiter id, quo est prior, aliquando non existere, alioquin non esset illo prior, sed simul. Res item quæ est posterior, essentialiter petit id, quo est posterior, præcessisse.

X. **H**æc in gratiam illius sententiæ dixerim, quæ hujusmodi Relationes inter duas albedines, aut substantias, Petrum scilicet & Paulum statuit, quibus ad se invicem referantur ut similes: si enim quis, licet aliquas Relationes admitteret, has tamen negaret, hoc argumento non urgeretur. De quo plura sec. sequente.

SECTIO XII.

Resolutio questionis circa distinctionem Relationis à fundamento & termino.

Proposui utramque sententiam, & eam scilicet, quæ Relationem à fundamento & termino distinguit, & quæ negat esse distinctam: nunc, quid mihi de tota hac controversiâ probabilius videatur, aperiam.

II. **D**ico primò, duæ albedines, ignes, homines, &c. si sint similes per Relationem, debent esse similes, per aliquid earum entitatum superadditum. Hæc conclusio probata est suprà sec. 3. & 4. & ratio videtur clara, nam Relatio, ut vox ipsa sonat, dicit ordinem quandam, & respicientiam, ut constat in Relatione Transcendentali: hæc autem respicientia inter duos parietes, seclusâ Relatione superadditâ, non reperitur. Unde ut suprà l. 3. n. 2. vidimus, Okamus

mus qui similitudinem constituebat in concreto, putabat se eadem operâ negare Relationem, ut latius loco citato.

III. Dico secundò : nullam video necessitatem asserendi duos homines ex. gr. esse similes per Relationem : & idem est de alijs omnibus rebus similibus, vel dissimilibus, æqualibus, inæqualibus, & huiusmodi; sed res omnes sunt similes, & dissimiles adæquarè per suas entitates absolutas. Ratio est, quia similitudo est convenientia in prædicatis, æqualitas in magnitudine vel perfectione &c. sed duo homines non conveniunt in prædicatis per Relationem, imò disconveniunt potius, illi enim sunt substantia, Relatio accidens; illi entitates habent permanentes, Relatio est quid fluxum, & momentis penè singulis destruitur, ergo duo homines non sunt similes per Relationem.

IV. Conf. esse simile formaliter nihil aliud est, quàm ut unum habeat se sicut aliud, sed hoc fit formalissimè per ipsas entitates, unus enim paries albus ut sex habet se sicut alius paries habens albedinem ejusdem intentionis, merè per illam albedinem, omni alio secluso. Nec video cur magis egeant duo homines aliquo distincto ut sint similes in natura, quàm ut sint duo.

V. Hæc conclusio videtur mihi esse juxta mentem Aristotelis, qui Relationem similitudinis dicebat fundari in veritate, ergo secundum Aristotelem duo homines ex. gr. non sunt similes per Relationem superadditam, cum pro aliquo priori ad hanc Relationem sint similes, seu habeant unitatem & convenientiam in prædicatis, quæ est formalis similitudo, & in hæc secundum Aristotelem fundatur hæc Relatio, quæ idè ab ipso vocatur Relatio similitudinis, non quod reddat parietes formaliter similes, sed quod in similitudine fundetur, & ab eâ oriatur.

VI. Conforme itaque est doctrinæ S. Thomæ & Aristotelis asserere dari Relationes identitatis, seu inter duas substantias; æqualitatis, seu inter duas quantitates; & similitudines inter duas qualitates, & è contrà, Relationes diversitatis inter duas substantias, inæqualitatis, & dissimilitudinis inter quantitates, & has omnes Relationes realiter esse à fundamento & termino distinctas, non quæ denominationem identitatis, æqualitatis & similitudinis ijs tribuant, ut dixi, sed ut per eas res omnes peculiari modo inter se connectantur, & copulentur, quod nonnulli putant multum conducere ad bonum universi. Quare si quis in hunc finem huiusmodi Relationes, & modos rebus se peradditos admittere velit, non abnuo: puto tamen non esse necessarios.

VII. Dico tertio: Ratio & Relatio Paternitatis & Filiationis, & similes in creatis realiter distinguuntur ab entitate Patris, ab entitate Filij, & à generatione, seu à concreto ex his tribus conflato, suntque modi ijs superadditi. Ita auctores suprà sect. 7. n. 1. citati. Hæc conclusio latè probata est suprà sect. 3. in impugnatione sententiæ statuentis Relationem in concreto, maximè autem sec. 4. ubi ostendi, nisi Relationes Paternitatis, & Filiationis sint aliquid aliud, præter entitatem Abrahami ex. gr. entitatem Isaac, & generationem, sequi Patrem & Filium, seu esse Patrem, & esse Filium esse planè idem: quod tamen nullo modo concedi debet: existimo tamen id aperte sequi, ut ex loco citato constat.

SECTIO XIII.

An Relatio prædicamentalis requirat actualem existentiam fundamenti & termini.

Relativa dicuntur simul definitione, & cognitione, quia nimirum definiri nequit vel cognosci unum, nisi per aliud (quod intelligendum est de relativis formaliter; nam entitas illa, quæ habet Relationem potest cognosci sine suo correlativo, ut Petrus non cognito Paulo filio) sic dici solet *Pater est qui habet Filium*; & è contrà, *servus est domini* &c. *quis dominus alicujus dominus* &c. quærimus ergo utrum realis existentia fundamenti & termini ad Relationem prædicamentalem necessariò requiratur.

De fundamento non videtur dubium, quin requiratur ut sit reale, & realiter existens. Ratio est quia Relatio est accidens reale, & ante omnem operationem intellectus refert unum ad aliud, sed nihil reale potest subijci in aliquo non reali, ergo. Conf. quod nihil est, non potest actu referri Relatione reali, sed res non existens est actu nihil, ergo. Confir. secundò, esse semper est primum in unaquaque re; unde sicut prius est esse quàm operari, ita & quàm referri, vel quàm habere in se Relationem realem.

De termino dicendum, Relationem prædicamentalem necessariò requirere terminum actu existentem, & in hoc etiam differt à transcendentali, quæ non solum non semper, seu ex genere suo requirit terminum actu existentem, sed aliquando nec possibilem. Sic cognitio eclipsis futuræ, & Antichristi nec dum nati, & rerum omnium possibilem, imò & impossibilem, ut Chimæræ dicit realem respectum transcendentalem ad illa. Ita S. Thomas 1. p. q. 13. a. 7. & lib. 2. contra Gen. c. 12. n. 3. Ferrar. ibid. P. Suarez d. 47. l. 8. n. 4. P. Hurt. d. 5. Met. l. 6. n. 63. P. Arriaga d. 12. Log. l. 10. & est communis contra Gregorium, in 1. d. 28. q. 23.

Probatur primò auctoritate S. Thomæ 2. contra Gen. c. 12. n. 3. citato, ubi probat Relationem scientiæ in Deo non esse realem & prædicamentalem, quia est ad res non solum in actu, seu actualiter existentes, sed etiam ad eas quæ sunt tantum in potentia, sed ejus, inquit, quod est actu ad id quod non est actu, sed potentia, non sunt Relationes reales, alias sequeretur quod essent infinitæ Relationes actu in eodè, cum numeri infiniti in potentia sint majores binario, quibus omnibus ipse est prior. Quid clarius? Item S. Damascenus lib. 1. ortho. Fidei c. 8. sic ait de Patre S. Damasceni & Filio in Trinitate: *Neque enim Pater unquam fuit nisi quin Filius quoque esset, verum simul Pater, simul Filius*; & tunc generaliter infert, *Neque enim Pater vocari queat qui Filio careat*. Præterea D. Athanasius de S. Spiritu, circa finem: *In Divinis, inquit, semper Pater est Pater, & Filius semper Filius: in rebus autem humanis non est eodem modo, siquidem in hominibus qui est Pater, non semper est Pater, neque qui Filius semper Filius*. Item S. Cyrillus Alex. lib. de Trin. c. 7. S. Cyrilli sic ait: *Non erat unquam Pater, quando Filius non Alexander erat, sed simul Pater, & simul Filius ex ipso genitus, drini*. quippe Pater, qui careat Filio, nemo vocetur.

Imò videtur esse communis opinio omnium, ut videre licet in scriptis antiquorum, qui ex communi sensu sui temporis sunt loquuti, ut constat ex illo Ovidij de Dedalo & Icaro, *At Pater infelix, jam non tione re-Pater, Icare clamat* &c. ex quibus habemus esse de communi consensu omnium neminem esse Patrem, nisi qui actu habet Filium. Sed ut Philosophos rusticus adeamus est commune axioma ab ipsis statutum,

posito fundamento & termino resultat Relatio; item communiter dici solet, ablato termino perire Relationem, ergo in communi sententiâ, supponit Relatio terminum existentem. Præterea dicuntur Relativa esse simul tempore & natura, quæ omnia desumpta ex Aristotele, & communi sententiâ, magnam hac in parte faciunt probabilitatem.

VI. Probatur secundò, communiter ab omnibus dicitur Pater est qui habet filium, quæ tamen definitio esset diminuta, nisi Relatio requireret actualem existentiam termini, jam enim secundum illam sententiam, quivis esset Pater respectu filij possibilis, cum non requiratur terminum actu existentem; vel saltem mortuo Filio adhuc esset actu Pater, quod est contra communem philosophorum sententiam, & per se videtur falsum. Unde S. Thomas 4. contra Gen. c. 14. ait, *hæc est ratio Patris, ut sit filij Pater*, nõ potest autem esse Pater Filij, si Filius non sit, sicut nec dominus servi mortui. Conf. nullus dicit talem esse, sed fuisse Filium talium parentum, ergo communis sensus est, actu non esse illum Filium, qui non habet vel Patrem vel Matrem. Conf. secundò, nam Relatio est, *cujus totum esse est ad aliud se habere*, res autem non existens non est propriè aliud, cum omnino non sit, imo sit nihil. Conf. paries albus non est actu similis parieti, qui nullum in se habet colorem, quamvis sit albedo in eo possibilis, ergo requirit Relatio similitudinis terminum existentem.

VII. Dices cum Gregorio citato; Relatio transcendentalis non requirit existentiam, imò nec possibilitatē termini, ut supra diximus; ergo nec Prædicamentalis. Nego consequentiam: Ratio est, quia Relationes Prædicamentales resultant, posito fundamento & termino, ut ex Aristotele docet communis schola philosophorum. Deinde, Relationes transcendentales non definiuntur *ad aliud*, vel *ad aliquid* simpliciter, homo enim captus mente habet potentiam ad actus rationis, qui tamen actu nihil sunt; nunquam autem censetur quis Pater ante existentiam Filij, si autem argumentum illud quidquam probet, probat Patrem esse Patrem antequam ei nascatur ullus Filius; Relatio enim transcendentalis existit antequam ullus ejus terminus existat.

VIII. Hinc etiam deducitur Relationem Prædicamentalem non posse terminari ad Ens rationis; Relatio enim hæc est *cujus totum esse est ad aliud se habere*, sed Ens rationis non est aliud propriè, nam non est propriè ens, nec aliquid, ergo &c. Dices; Petrus est dissimilis chimæ. Distinguo antecedens, est dissimilis negativè, seu nõ similis, & quasi Transcendentaliter, concedo antecedens; positivè & Prædicamentali-ter, nego; quia Ens rationis, ut dixi, non est aliud seu aliquid propriè loquendo, sed solum metaphoricè.

IX. Quæres, utrum Relatio possit esse inter extrema non realiter distincta? Resp. negativè; primò, quia Relatio est quædam oppositio, unde Aristoteles in postprædicamentis inter oppositiones unam numerat: *Relativam*, sed ubicunque est oppositio est distinctio, nam oppositio intercedit necessariò inter extrema realiter distincta; jusdem enim ad seipsum ut non datur unio, ita nec oppositio, ob defectum distinctionis. Conf. Theologi inde probant realem distinctionem inter Personas divinas, quia inter illas datur vera Relatio, seu oppositio Relativa, ergo censent ad veram Relationem requiri distinctionem realem.

X. Probatur secundò, definitio Relationis est *cujus totum esse est ad aliud se habere*, sed nihil à parte rei est aliud realiter à seipso, ergo nihil potest dicere Relationem realem ad se. Unde licet Petrus sit idem secum, non tamen dicit Relationem identitatis ad se,

licet non minus sit idem secum, quam distinctus ab alijs, ratio autem sola est, quia ad Relationem requiritur realis distinctio extremorum.

Quod de Relatione Prædicamentali diximus, etiam verum est de transcendentali, inter quam & terminum requiritur etiam realis distinctio. Quæ de causâ docent Theologi scientiam Dei non dicere habitudinem realem transcendentalem ad Divinam essentiam, dum illam cognoscit, nec amorem Divinum ad Divinam bonitatem, dum illam amat. Sicut nec intellectus etiam creatus dicit Relationem transcendentalem immediatam ad se, dum se intelligit, nec voluntas creata dum se amat, nec etiam oculus, dum se videt per speculum.

Dixi intellectum, dum se intelligit, non dicere Relationem transcendentalem immediatam ad seipsum, dicit enim mediatam, hoc namque nihil aliud est, quam quod dicat Relationem transcendentalem ad illud, quod vicissim dicit Relationem ad intellectum, ut dicit intellectio, hæc enim respicit intellectum ut causam, ille actum ut effectum. Hoc modo materia respicit mediatè seipsam, dum respicit formam, à qua vicissim respicitur, & universim verum hoc est in omni Relatione transcendentali mutua.

Uterius, licet animal ratione ratiocinatâ distinguatur à rationali, non tamen dicit ad illud Relationem realem transcendentalem, ob defectum distinctionis realis, sola enim distinctio per intellectum ad Relationem realem fundandam non sufficit, sed tantum ad prædicationes quasdam inter prædicata metaphysica ratione distincta.

SECTIO XIV.

Utrum Relatio terminetur ad respectivum, an absolutum.

I. Non est quæstio, quando una Relatio terminatur ad aliam in sententiâ asserente id fieri posse, ut cum Paternitas refertur ut dissimilis Filiationi per se, vel per Relationem dissimilitudinis ab utraq; distinctam, hoc enim si fiat, non est dubium quin Relatio terminetur ad respectivum, cum omnis Relatio sit essentialiter quid respectivum. Quæstio ergo est, utrum Pater, quæ Paternitas, seu utrum Paternitas terminetur ad Filium quæ Filium, seu ad Filiationem, an ad entitatem absolutam Filij, & è contrâ de Filio respectu Patris, & de alijs omnibus Relationibus.

Prima sententia Cajetani, Medinæ, & aliorum affirmat omnem omnino Relationem terminari ad respectivum. Secunda Ferrar. Rubij de Prædic. cap. 7. quæst. 7. & aliorum idem affirmat de quibusdam Relationibus, de alijs negat. Tertia demum sententia de omnibus omnino Relationibus negat: Ita noster Scotus in 1. d. 30. q. 1. cum suis, & alij.

Advertendum primò, Relativa alia esse mutua, alia non mutua; mutua illa sunt, quæ ad se invicem referuntur, ut Pater & Filius, Pater enim respicit Filium per paternitatem, & Filius vicissim Patrem per Filiationem. Non mutua sunt, quando licet unum extremum referatur ad aliud, hoc tamen non iterum refertur ad illud Relatione verâ & reali. Sic creaturæ referuntur ad Deum Relatione reali, non tamen Deus ad creaturas.

Advertendum secundò, quæstionem posse insti-
IV. tuti de Relationibus etiam transcendentibus, par enim quoad hoc utriusque Relationis est ratio, licet communiter procedat de solis prædicamentali-
Dico bus, utpote in quibus clariùs apparet difficultas.

XI. Transcendentalis etiam Relatio requirit terminum deum finem.

XII. Res creata dicit Relationem transcendentalem ad seipsum.

XIII. Animal non dicit Relationem ad Rationalem.

I. Status dissimilitudinis.

II. Circa terminationem Relationis sunt tres sententiae.

III. Relationes alia mutuae, alia non mutuae.

V. Dico primò: Relatio transcendentalis non mutua terminatur ad absolutum, mutua ad respectivum. Prima pars constat in cognitione terminatà ad Ens rationis; & in Relatione transcendentali creaturæ ad Deum, in sententiâ asserente Deum non dicere Relationem transcendentalem ad creaturas. Secunda etiam pars probatur, nam materia prima respicit formam ut actum suum, seu ut quid ipsam perficiens. Conf. & explicatur, materia per suam essentiam respicit essentiam formæ, sed essentia formæ est respectiva, & Relatio transcendentalis, non quid ab eâ distinctum, sed ipsa ejus entitas, per quam vicissim respicit materiam; ergo entitas materiæ terminatur ad respectivum, quod secus contingit in Relationibus Prædicamentilibus, ubi Relatio realiter distinguitur à termino.

VI. Dico secundò: Relationes Prædicamentales non mutua terminantur ad absolutum. Ratio est clara, in Relativis enim hiis non mutuis non est Relatio in termino, ergo non potest in eo respici. Sic Relatio Prædicamentalis creaturæ ad Deum non terminatur ad Relationem, cum in Deo nulla sit Relatio Prædicamentalis ad creaturam, ut est manifestum.

VII. Dico tertio: Relationes etiam Prædicamentales mutua terminantur ad absolutum. Probatur primò, in Relationibus non mutuis Relatio non terminatur ad Relationem, ergo non exigit hoc ex ratione Relationis ut sit, ergo in Relativis etiam mutuis, est sufficiens ratio in termino ad terminandum Relationem, licet non esset Relatio in illo extremo, ad quod refertur Relatio: unde si per possibile vel impossibile auferretur Relatio ab altero pariete, manente in eo albedine, adhuc referretur ad illum alter ut similis in albedine, quæ est fundamentum & terminus Relationis similitudinis. Conf. equus refertur ad lapidem Relatione dissimilitudinis, ergo non refertur ad Relationem dissimilitudinis in lapide. Patet consequentia, Relatio dissimilitudinis in equo est potius similis alteri Relationi dissimilitudinis, quam ei dissimilis, ergo non est Relatio dissimilitudinis, in quantum respicit alteram Relationem sibi similem, sed ut respicit fundamentum illius Relationis sibi dissimile.

VIII. Probatur secundò in Relationibus disquarantia: Relatio causæ refertur tantum formaliter ad effectum ab illâ causâ productum, sed ignis A non producit Relationem effectus in igne B à se producto, ergo ignis A non refertur Relatione causæ ad illam Relationem, sed solum ad ignem B. Idem est in Relatione Patris ad Filium, quæ est etiam Relatio causæ ad effectum; non enim idcirco refertur Pater ad Filium, quia Filius refertur ad Patrem, sed quia est ab illo genitus; sicut nec Filius refertur ad Patrem, quia Pater refertur Prædicamentally ad Filium, sed quia Pater eum genuit, eo enim ipso quod hoc concipiamus, habemus sufficientem rationem, cur vel Pater respiciat Filium, vel Filius Patrem. Relatio ergo in mutuis, licet semper concomitanter se habeat concomitantia reali, nunquam tamen redditur pro formali ratione alterius, quia prius illa redditur sufficiens ratio; nempe quia est res ab aliâ producta, quæ est prior resultantia harum Relationum, ergo formalis ratio termini non est Relatio, sed id solum, quod redditur pro ratione. Unde Pater per paternitatem non respicit Filium formaliter, sed hominem à se genitum, cum sit Relatio causæ ad effectum.

XI. Probatur tertio, & est ratio à priori: Relativa formaliter sunt simul natura, ergo Relatio in fundamento terminatur ad absolutum, non ad Relationem in termino. Patet consequentia, si Relatio in

fundamento terminetur ad Relativum formaliter, erunt simul seu ad Relationem, terminus illius Relationis effect altera Relatio, sed terminus est aliquo modo prior Relatione, nam juxta communem philosophorum sententiam, posito fundamento & termino resultat Relatio, ergo Relatio pendet à positione termini, sed id omne à quo aliud pendet est prius eo, quod pendet, ergo jam Relationes non erunt simul natura. Conf. hinc sequeretur Filiationem esse prius Paternitatem, cum Paternitas secundum adversarios terminetur ad Filiationem, sed Filatio etiam secundum illos terminatur ad Paternitatem, ergo erit mutua prioritas.

SECTIO XV.

Solvuntur objectiones contententes Relationem terminari ad respectivum: Vbi quomodo Relativa sint simul natura, & cognitione.

Objicitur primò: nisi Relatio terminetur ad respectivum, sequitur Retrum esse prius Patrem quam Paulus sit ejus Filius. Probatur sequela, Paulus prius est homo, quam Filius, seu quam in eo emergat Relatio Filiationis, si ergo Paternitas in Petro terminetur ad humanitatem Pauli, & non ad Relationem Filiationis, non expectabit existentiam Filiationis ut existat, sed posita entitate Pauli, quæ est prior Relatione Filiationis, statim emerget, sicq; Petrus erit prius Pater, quam Paulus sit Filius. Resp. negando sequelam, ad probationem dico eodem instante reali, naturæ, & rationis, quo existunt entitates Petri ac Pauli, emergere utramque Relationem, licet neutra ad se invicem terminetur. Quod ut melius intelligatur.

Notandum, in eodem instante reali tria reperiri instantia seu signa rationis in Relatione causæ ad effectum. Primum instans est cum consideratur causa in actu primo, & semper in hoc sensu est prior effectus: secundum quando actu causat, seu est actu causa, sub hac autem ratione est simul ratione cum effectus, nec enim intelligi potest actu efficiens, nisi intelligatur effectus, in hoc autem instante adhuc non intelligitur Relatio. In tertio demum instante intelligitur ad positionem causæ & effectus emergere duplex Relatio, altera ex parte causæ, per quam refertur ad effectum; altera ex parte effectus, quæ refertur ad causam. Pro nullo ergo priori emergit Relatio Paternitatis in Petro Patre, quin emergat etiam Relatio in Ioanne Filio, licet licet Petrus sit prius homo, imò & homo generans, quoad prioritatem naturæ, quam sit Pater, vel quam Ioannes sit Filius, pro nullo tamen priori est Petrus Pater, quin pro eodem Ioannes sit Filius, posito enim fundamento & termino, necessariâ quadam concomitantia resultat utrumque Relatio, cum eadem ad resultantiam conditiones requirantur.

Objicitur secundò: Relationes dicuntur simul cognitione, ergo terminantur ad se mutuo, alioquin posset cognosci una, non cognita aliâ. Resp. ut Relationes sint simul cognitione, non est necessarium ut una terminetur ad aliam, sed hoc sensu sunt simul cognitione, nempe quod sicut Relationes mutua necessaria concomitantia simul resultant in eodem instante reali, & rationis, ob quod sunt simul natura, ita eadem ratione simul cognosci possunt, cognitæ fundamento & termino, cum tantum fundamentum sit ad cognoscendum unam Relationem, atque alteram: sicque ut in esse ita in cognoscibiles esse sunt simul, & se mutuo concomitantur, nõ quod una e-

gnosci omnino non possit nisi cognita alia, sed tum quod plerumque simul cognoscantur, cum necessarium sit simul: tum maxime quod pro nullo priori cognoscitur una, quin possit cognosci alia, quod est esse simul cognitione, nempe aptitudinali, non semper actuali.

IV. Obijciunt tertio: Aristoteles hic asserit servum non referri ad hominem, sed ad Dominum. Resp. solum velle Aristotelem non referri ad quemcunque hominem, sed ad eum qui habet servum, quod est referri ad dominum specificativè; sicut nec Filius referri ad quemcunque hominem, sed tantum ad eum qui genuit, sicut servus respicit hominem, qui eum emit aut conduit.

V. Obijciunt quarto: Relativa sunt simul definitione, sed non sunt simul definitione, nisi terminentur formaliter, seu ad se mutuo, ergo omne Relativum, ut sit simul definitione, debet definiri per correlativum. Distinguo consequens, per correlativum specificativè concedo; reduplicativè, nego: in ordine enim ad id solum definitur unaquæque res respectiva, quod respicit, seu in ordine ad quod dicit habitudinem: cum ergo Relatio paternitatis v. g. vel Filiationis dicat habitudinem solum ad absolutum, ut vidimus sect. præcedentem, definitur solum in ordine ad illud. Unde licet illud pro eodem instante reali, & rationis sit relativum, & consequenter correlativum, perinde tamen esset quoad hanc Relationem, si non esset Relativum, sed solum absolutum, ut ostensum est.

VI. Solum hic notandum ob id quod aliqui obijciunt, si unum Relativum possit quovis modo definiri per aliud, committi circulum. Notandum, inquam, non omnem circulum esse vitiosum, nec vitandum in definitionibus, cum enim res à parte rei mutuo se respiciant, & efficiant quasi circulum in essendo, ut materia respicit & connotat formam, & hæc vicissim materiam, actus potentiam, & potentia actum, quidni poterit Philosophus facere circulum in explicando, ea per mutuum hunc ad se invicem respectum definiendo? Imò & debent hoc modo definiri, cum definitio explicet essentiam rei, essentia autem horum mutuo se respiciant; ut si quis dicat materia est subjectum receptivum formarum, forma est actus informativus materia.

VII. Adde non hic definiri plane idem per idem, qui solus circulus vituperatur à philosophis, qualis est si quis dicat, Pater est qui habet Filium, Filius est qui habetur à Patre, qui enim hoc modo definiret solum videretur ludere in verbis, & non rem ullâ ratione explicare. Imò nec adeo mihi probatur hic modus definiendi, Pater est qui habet Filium, nisi aliunde supponatur aliquo modo notum quid sit Filius, sed dici potius debet Pater est qui genuit sibi similem in substantiâ.

SECTIO XVI.

Utrum Relatio varietur pro diversitate terminorum.

I. Dico primò: licet non repugnet unam Relationem terminari ad plures terminos numero distinctos, possunt tamen dari in eodem subjecto duæ, vel plures Relationes numero tantum distincte. Prima pars constat, quid enim verat, cum de novo producitur albedo in aliquo pariete, referri parietem illum per unam Relationem ad plures parietes ei in albedine similes?

Conf. eadem visio, ut vidimus in lib. de Anim. ferri potest ad plures terminos numero distinctos,

ergo & eadem Relatio ad plures etiam terminos similiter distinctos; sicque sicut illa visio est repræsentatio, non unius tantum albedinis, vel coloris, sed plarium, ut cum quis aspicit acervum tritici, vel campum plenum gramine, & est ordo potentie ad plura objecta numero distincta, ita hæc Relatio erit respectus, vel ordo fundamenti ad plures terminos numero distinctos. Unde est probabile Filium eadem numero Relatione referri ad Patrem & Matrem, quæ etiam est sententia S. Thomæ; & si alter parens moriatur, destruitur illa Relatio, & alia emergit ad solum parentem superstitem, qualis fuisset si Pater diem obijisset ante filium conceptum.

Secunda pars conclusionis est contra eos qui universim negant, posse plura accidentia numero tantum distincta esse in eodem subjecto. Unde, cum quis habet Relationem Paternitatis ad unum Filium, & postea nascitur ei alius, dicunt non novam Relationem Paternitatis ad illum Filium emergere, sed priorem extendi ad novum terminum. Sed contra hoc ultimum est, nam Relatio ex essentia sua est actualis respicientia, seu exercitium, ergo si sit unquam actualis respicientia duorum Filiorum, fuit semper, cum semper habuerit suam essentiam.

Conf. secundo, quia eodem modo posset quis dicere visionem unius albedinis extendi posse ad aliam albedinem, & mutare objectum, sicut dicunt Relationem mutare terminum, cum Relatio non minus sit essentialis ordo ad terminum, quam visio ad objectum.

Ad id quod ajunt non posse esse simul duo accidentia numero tantum distincta, sæpe ostendi id nullo modo ita se habere, præsertim quando accidentia illa deserviunt diversis muneribus, ut hic contingit. Sic diversi gradus coloris, diversæ species visibiles in oculum à duobus numero objectis immixtis; item duo actus intellectus &c. simul reperiuntur. Verum quidem est aliqua accidentia numero tantum distincta non posse esse in eodem subjecto; quia nulli usui deservirent, ut duo calores ut unum, vel duæ partes albedinis plane similes, duæ ubicationes, durationes &c.

Dices, si unus homo in se habeat plures Paternitates, ergo est plures Patres. Nego consequentiam; sicut flos aliquis habens plures qualitates, non est plures plures qualitates, sed unum quale pluribus qualitatibus; & artifex callens plures artes, non est plures artifices, sed unus. Ratio est, quia denominatio in istis sumitur communiter ab eo, quod importatur in recto, quod si sit unum, id quod denominatur censetur unum, quantumvis ea quæ importantur in obliquo sint plura.

Dico secundo: mihi probabilius videtur eandem numero Relationem posse referre fundamentum ad plures terminos, etiam specie distinctos; unde existimo eandem numero Relationem parietem ex. gr. referri ad omnes alias res absolutas, quibus est vel similis, vel dissimilis. Declaratur & probatur conclusio; sicut datur ratio vegetativi tantum, ut in plantâ, & ratio rationalis tantum, ut in Angelo, ac demum ratio vegetativi simul & rationalis, ut in homine; ita si existerent à parte rei duæ tantum res omnino similes, posset dari inter illas Relatio, quæ esset similitudinis tantum, & si duæ res tantum existerent omnino dissimiles, daretur inter illas Relatio dissimilitudinis tantum, si verò res varix existerent, quarum aliquæ sunt similes sibi invicem, alix dissimiles, dari poterit una Relatio in unoquoque fundamento, quæ simul sit Relatio similitudinis & dissimilitudinis respectu omnium.

Conf. potest dari una visio solius albedinis, & alia solius nigredinis, ac tertia juxta communem sententiam,

Hoc probatur
exemplo
visiois.

tentiam, quæ simul sit visio albedinis & nigredinis, & tamen ut dixi non minus essentiali ordinem dicit ad objectum, quam Relatio ad terminum, ergo poterit eodem modo eadem Relatio esse similitudinis & dissimilitudinis. Conf. Secundo; Angelus potest eodem actu intuitivo videre plura objecta specie, imò genere distincta, ergo & fundamentum aliquod eadem Relatione poterit respicere terminos specie distinctos.

IX. Id tamen notaverim nunquam posse Relationem quæ sit similitudinis tantum (si qua sit huiusmodi) esse postea dissimilitudinis, vel è contrà; sicut nec visio albedinis tantum, fieri unquam poterit visio nigredinis, aut vegetativum tantum fieri sensitivum vel rationale.

X. Dices; implicat eundem colorem esse albedinem & nigredinem, ergo & eandem Relationem esse similitudinis & dissimilitudinis. Nego consequentiam; disparitas est, quia albedo & nigredo sunt contrariæ & ab eodem subiecto se invicem expellunt, quod non contingit in similitudine & dissimilitudine, nam saltem potest idem paries albus habere in se simul Relationem similitudinis ad alterum parietem album, & dissimilitudinis ad nigrum, ergo similitudo & dissimilitudo etiam respectu contrariorum, ut hic contingit, non sunt contrariæ, sic enim ab eodem se subiecto expellerent, ergo non est tanta ratio cur non possit dari una Relatio, quæ sit similitudinis & dissimilitudinis, atque quod non possit dari idem color, qui sit albedo simul & nigredo, cum etiam dari possit eadem visio, quæ sit simul albedinis & nigredinis.

XI. Obijcies primo: viperæ mater dicit Relationem ad viperam filiam, ponamus ergo secari in varias partes filiam, ita tamen ut singulæ adhuc partes vivant, quæro num pereat Relatio matris in viperâ, & si pereat, utram resultet alia, & si resultet, utrum una an plures. Resp. destrui Relationem matris divisa in partes prole, quia respiciebat illam viperam, seu ut unam, jam autem non est amplius illa, sicut nec arbor divisa in varias partes esset amplius illa arbor, nec arbor propriè, sed partes arboris. Sicut ergo in visione terminata ad colorem unius ulnæ in longitudine, si dividatur color ille in varias partes, necessariò perit visio, quia respiciebat colorem illum per modum unius, & si non periret, mutaret objectum, idem est in præsentia de Relatione.

XII. Ad secundum, an scilicet, & qualis Relatio resultet, dico; si qua pars ita maneat, ut habeat partes sufficientes ad rationem & denominationem viperæ, resultaturam ad illam partem Relationem matris, ad alias autem partes resultaturam tantum Relationem causæ non matris, nam ad nihil resultat Relatio matris, quod non sit aptum suscipere denominationem & Relationem filij. Sicut si Deus conservaret brachium Ioannis filij præcisum, adhuc vivum, Petrus Ioannis Pater non haberet Relationem Patris ad illud brachium, sed ad compositum ex aliis partibus, quod servat denominationem, & Relationem filij, nullus enim dicit brachium præcisum, licet adhuc vivum, esse Filium. Secundo tamen resp. dici probabiliter posse illas partes viperæ præcisas, cum sint homogeneæ, & ejusdem adhuc rationis ac naturæ cum matre posse dici aliquo modo filias, & consequenter resultare in matre unam novam Relationem ad illas omnes partes terminatam, sicut in Patre vel matre ad plures filios.

XIII. Obijcies secundò: quando lignum calefit successivè per quadrantem, si Relatio sit modus distinctus, sequitur esse in igne; vel causa calefaciente infinitas Relationes, cum in singulis instantibus, quæ censentur infinita, sit novus calor productus, ergo & Relatio illi correspondens erit infinita. Resp. sicut dixi

in simili supra sect. 9. num. 11. unam Relationem resultare successivè in causâ producente calorem, quæ habet partes diversas correspondentes calori producto: sicut tamen calor productus non est infinitus ob illa infinita instantia, in quibus producit, ita nec Relatio illi correspondens erit infinita. Quod idem videtur contingere, si quis colorem successivè propositum intueatur, vel solem aut lunam successivè orientem, non enim habet infinitas visiones, licet singulis momentis aliquid plus solis appareat, sed habet unam successivam, & fluentem.

Omnia ergo Relatio similitudinis est etiam Relatio dissimilitudinis, & omnis Relatio æqualitatis Relatio etiam inæqualitatis respectu diversorum. Relationes autem similitudinis ex genere suo distinguuntur specie à Relationibus æqualitatis; sicut tamen Relationes similitudinis quàm æqualitatis distinguuntur specie à Relationibus causæ & effectus. Non ergo negamus distinguere aliquas Relationes specie, sed solum dicimus non necessariò distinguere specie ad distinctionem specificam terminorum, ut jam ostendimus in Relationibus similitudinis & dissimilitudinis.

Id tamen hic noto, non esse improbabile, quod aliqui dicunt, quando nascitur novus Filius non necessariò produci novam Relationem integram Paternitatis ad illum in Patre, sed solum addi novam partem priori Relationi. Sicut dicunt aliqui probabiliter, si proponatur novum aliquod objectum, dum oculus varia intuetur, non necessariò dari ad id novam visionem ab aliâ separatam, sed novam partem addi, & cum illâ continuari.

SECTIO XVII.

De tribus generibus Relationum: ubi de Relationibus Equipollentia & Disqui-

parantia.

PRIMO notanda triplex illa divisio Relationis in tria genera ab Aristotele assignata; primum genus est earum Relationum quæ fundantur in unitate & numero; per unitatem autem non intelligitur unitas perfectissima, seu numerica, cum ad Relationem requiratur distinctio fundamenti à termino, nihil autem distinguitur à seipso, imò nullum simile est idem. Per unitatem, ergo intelligitur quæcunque convenientia realis, sive sit in qualitate, sicque ait Aristoteles similia sunt quorum una est qualitas: live in substantiâ & sic etiam ait, eadem sunt quorum substantia est una, sive in quantitate, sic æqualia vocat quorum una est quantitas. Præcipua tamen similitudo fundatur in convenientiâ specificâ. Per numerum intelligit hic Aristoteles diversitatem, quæ facit distinctionem, seu numerum.

Ex occasione hujus divisionis Aristotelis Relationum, operæ pretium est advertere quid de hac rescribat S. Thomas quest. 7. de poten. ar. 9. corp. ubi ait, Philosophum posuisse quasdam Relationes causatas ex quantitate, quasdam ex actione, & passionem. & alia huiusmodi; ubi ita clare ponit Relationem distinctam à fundamento & termino, ut nullus de mente ipsius relictus sit dubitandi locus. Et ad 4. in eodem ar. ait, aliqua dici similia secundum qualitatem causaliter, seu quatenus unitas in qualitate causat Relationem. Ad secundum verò solvit argumentum illud de processu in infinitum, qui arguitur ab adversariis sequi ex distinctione Relationis à fundamento, ait enim, Relationes, cum sint ipsa ratio referendi, referri seipsis, non per Relationem distinctam, quod, inquit, non competit substantiâ absolute. Quid clarius?

Secunda

III.
Secundum
genus Rela-
tionum fun-
datur in ac-
tione &
passione.

Secundum genus Relationum est earum, quæ fundantur in actione & passione, ut Relatio Paternitatis fundatur in generatione, Relatio causæ & effectus in productione: vel quæ fundatur in quasi actione, ut secundum aliquos. Relatio Magistræ ad Discipulum, Domini ad servum &c. Multa verò sub hoc secundo genere recensentur ab Aristotele, quæ ad Transcendentem potius Relationem spectant, quam Prædicamentalem: sub hoc enim genere collocat causam præteritam, & futuram in ordine ad effectum præteritum & futurum, cum tamen Relatio Prædicamentalis necessario requirat terminum existentem, ut ostensum est supra lect. decimæ tertiæ.

IV.
Tertium
genus est
mensura-
bile.

Tertium Relationis genus est Relatio mensuræ & mensurabilis, ut Relatio scientiæ ad scibile, sensus ad sensibile, &c. sensus enim, habitus, & scientiæ mensurantur quasi à suis objectis propriis, ad illa namque sola & non alia referuntur, unde objectum vocatur quasi *obex actuum*, ut in Log. diximus. Hæ tamen Relationes ab aliquibus censentur solum Transcendentales.

V.
Relatio æ-
quiparan-
tia, & Dis-
quiparantia.

Relatio prædicamentalis, alia *Equiparantia*, alia *Disquiparantia*; illa est, quando ex parte utriusque correlativi datur Relatio ejusdem rationis, ac denominationis, & ut ita dicam homogenea, ut Relatio similitudinis inter duos parietes albos. Relatio *Disquiparantia* est, quando ex parte utriusque extremi relati resultat Relatio, & denominatio diversæ rationis, seu heterogenea, ut Relatio Patris & Filij.

SECTIO XVIII.

Discutiuntur reliqua ad Relationis notitiam spectantia.

I.
Homines
post resur-
rectionem
habebunt
Relationes
Paternita-
tis, & Fi-
liationis.

Quæres primò, utrum post Resurrectionem erunt homines Patres & Filij sicut prius? Resp. affirmativè: Deus enim intuitu prioris productionis, iterum Relationes illas reproduret: unde sicut ob primam generationem manet per totam vitam Relatio Paternitatis & Filiationis, licet generatio illa dudum & fieret, quia scilicet entitas Filij semper conservatur intuitu illius, ita & in reproductione, quia etiam intuitu primæ illius generationis Filius, saltem mediare, reproducitur. Conf. Beatissima virgo nunc est propriissime Mater Christi, non minus quam ante Christi mortem, vel suam, ergo idem erit in aliis matribus respectu suorum filiorum. B. Virgine respectu Christi, quæ erat ante mortem, vel alia, (idem est de Relationibus aliarum matrum) dubitari potest: si dicatur Deum unà cum substantiâ simul reproducere in resurrectione omnia eadem accidentia, affirmari poterit, sin minus, negari.

II.
Relationes
disqua-
rantia non
suscipiunt
magis &
minus.

Quæres secundò, utrum Relationes suscipiant magis & minus? Non est sermo de Relationibus *Disquiparantia*, Patris scilicet & Filij, has enim non suscipere magis & minus, sed consistere in indivisibili certum est, cum omnes Patres sub conceptu Patrum sint æqualiter Patres, & omnes Filij æqualiter Filij, licet perfectione, dignitate, & excellentiâ Paternitas increata cæteras omnes infinite superet, utpote unde *Omnis paternitas in cælis & in terra nominatur*. 3. ad Ephes. 15. & idem est de Filiatione increata.

III.
Relationes
æqualitatis,
& similitu-

Loquendo itaque de Relationibus *Equiparantia*, Relatio æqualitatis non suscipit magis & minus, consistit enim in indivisibili, hic quippe est conceptus æqualitatis inter duo, si enim unum ab altero

tantillum excedatur, non sunt æqualia. Idem est de Relatione perfectæ similitudinis; licet enim vulgari-ter dicantur duo esse similia, si habeant eandem qualitatem, duo parietes ex. gr. habentes albedinem; ut tamen aliqua sint perfectè similia, habere debent qualitatem, albedinem ver. cau. in eodem gradu.

Aliud est de Relationibus inæqualitatis, & dissimilitudinis: in quantitate enim, tam continuâ, quam discretâ potest esse major vel minor excessus, ut magis in longitudine excedit palmum decempeda, quam ulna, & in discretâ magis inæquales sunt numerus binarius & centenarius, quam binarius & denarius. Quo sensu dixit Aristoteles 4. Met. c. 4. *finis, non eodem modo errare eum, qui putat quatuor esse quinque, & qui mille.* Idem est in Relationibus dissimilitudinis, magis enim dissimile est albo aut calido ut sex nigrum & frigidum, quam calidum solum, aut album ut duo. Unde Relationes inæqualitatis, & dissimilitudinis suscipiunt magis & minus.

Quæres tertio, utrum dari possit conceptus omnibus Relationibus Prædicamentibus communis? in eo sita est difficultas, conceptus enim hic esse debet, quod sit id *cujus totum esse sit ad aliud*, hæc enim est definitio Relationis ab Aristotele assignata, sed non potest esse hic conceptus communis omnibus, ergo. Probatur minor, Relativa sæpè sunt mutua, ergo omne Relativum non refertur ad aliud, cum refertur ad Relativum: Relativum autem non est aliud à Relativo, nec Relatio aliud à Relatione.

Resp. hoc in nostrâ sententiâ asserente Relationem terminari ad absolutum, non habere difficultatem, etiam si intelligatur definitio in sensu in objectione posito; cum enim refertur ad absolutum, refertur ad aliud, seu ad id quod non est Relatio; unde refertur ad Relativum solum *materialiter*, seu ad id quod in se habet Relationem, non *formaliter*, seu ut est Relativum, nam ut dixi, Relatio, licet respiciat terminum, qui in se habet Relativum, non tamen respicit ipsam Relationem, Filiationem ex. gr. sed fundamentum hujus Relationis, nempe hominem genitum.

Adde sensum definitionis Relationis, dum dicitur *referrî ad aliud non esse*, ut refertur, ad id, quod est distinctum ab omni Relativo, etiam formaliter, seu quod non debeat referrî ad Relationem, sed per *referrî ad aliud* intelligitur quod refertur ad aliquid realiter à se distinctum, sive sit Relatio sive non. Quare si Relatio Paternitatis, sicut refertur ad hominem genitum, ita refertur ad Filiationem, vera adhuc esset definitio, & conceptus hic communis Relationis, verè enim refertur ad aliud, cum Filiatio sit aliud, seu quid realiter distinctum à Paternitate.

Quæres quarto, quo pacto intelligatur commune illud dictum Philosophorum, *ad Relationem non dari per se motum*? Resp. ut supra latius dictum est sec. 9. n. 2. sensum illius esse, non per se à naturâ intendi Relationem. Dum enim natura producit florem, id quod tunc intendit est flos ille productus: quod autem ad productionem hujus floris resultet in alio flore Relatio similitudinis ad hunc, non intendit per se natura, sed secundariò tantum, & quasi per accidens sequitur. Ex hoc autem axiomate manifestè sequi videtur secundum opinionem philosophorum dari debere Relationem aliquam ab entitate Patris ex. gr. & Filij, seu ab illo complexo distinctam, alioqui dabitur per se motus ad Relationem, nam ad utramque partem illius complexi, entitatem scilicet Patris & Filij datur per se motus, ergo etiam datur per se motus ad Relationem, si Relatio nihil aliud sit, quam hæc duæ entitates. Et hæc de Relatione sufficiant.

DISPU.

DISPUTATIO XII.

De Deo.

Primum in
intentione
est ultimum
in executione.

Primum in intentione est ultimum in executione: longum ergo & laboriosum illud studium, quod per totum hunc cursum Philosophicum in rerum naturalium disquisitione impendimus, ed solum tendit, ut per rivulos ad fontem, per ramos ad radicem, per creaturarum inspectionem ad Creatoris, cujus in se singula impressa habent vestigia, notitiam duceremur. Non insecit olim (ut norunt omnes, qui humaniores litteras norunt) non insecit inquam finxit antiquitas, dum Amphion post Thebas per harmoniam & musicam muro cinctas, lyram in saxo reposuisset, saxum illud vocalem postea sonum, & murmur sonorum, velut quoddam nobilissimi illius operis auctoris mnemofynon, semper retinuisse. Conditio hoc universo, ejusque partibus mirā quadam harmoniā inter se coaptatis, & in unam quasi fabricam sapientissimē dispositis, res omnes retinent vocalem sonum, quo conditoris sui, cujus, ut dixi, impressa quaedam in se habent vestigia, excellentiam deprædicant. Sed quia de hoc postea latius sum dicturus, hic sufficit, præloquendo illud insinuasse.

Creatura
omnino quæ-
dam in se
habent ve-
stigia Crea-
toris.

SECTIO PRIMA.

*Demonstratur dari Numen aliquod supre-
mum seu Deum.*

I.
Inspiciens
rem tā ne-
fandam elo-
qui non est
didit, & quibusdam
quasi tenebris abscondit.
Ideo,
inquit in hunc locum S. Augustinus, dixit in corde suo,
quia hoc nemo audeat dicere, etiam si ausus fuerit cogitare.

Dixit inspiens in corde suo, non est Deus, ait Propheta Regius Psalmo 13. In corde suo hoc dixit; res enim hæc nefanda adeo est, ut præ pudore eloqui eam vereretur, ideoque intra cordis sui latebras abscondit, & quibusdam quasi tenebris abscondit. Ideo, inquit in hunc locum S. Augustinus, dixit in corde suo, quia hoc nemo audeat dicere, etiam si ausus fuerit cogitare. Quod ille præ pudore effari non est ausus, id quidam hoc nostro tempore proloqui non verentur, plenoque ore nullum in Orbe Numen esse dictitant, sed casu omnia ac temerè contingere: eo nimirum consilio, ut excusso quasi, & alegato Legislatore, à legibus soluti, pecudum more se in omni vitiorum cæno volutent. Fatuum ergo hunc errorem, Deoque maximè contumeliosum variis adductis rationibus hic refellam, ut obstruatur os loquentium iniqua.

Quo consilio
hodie
quidam ne-
gent Deum.

II.
Dati ali-
quem mun-
di Condito-
rem Naturæ
vox est.

Dati itaque summum aliquem rerum omnium opificem ac moderatorem, naturæ vox est, quæ tot linguis, quot in se res diversas continet, aliquem dari earum Condito rem profiteretur, imò uno cuncta ore clamant, ipse fecit nos, & non ipsa nos. Quid enim aliud testatur eximia illa universi pulchritudo, summaque rerum omnium varietas, quam supremum aliquod dari Principium, à quo tanquam à fonte suam illæ perfectionem, splendorem, ac venustatem derivent? Quid diei ac noctis, hyemis & æstatis, omniumque anni temporum æqualibus vicissitudo? quid cælestium corporum structura, magnitudo, majestas, quid solis ac lunæ inter se accessus & recessus, diversisque sphaerarum ac globorum semper à se invicem recedentium, semper itatis temporibus recurrentium motus, constansque inconstantia, quæ summa etiam ingenia in sui admiratione delixa tenuit? quid, inquam, hæc indicant, nisi

Consistit
Deus ex
rerum va-
rietate, pul-
chritudine,
& ordine.

summum aliquem esse Moderatorem, cujus sapientiā cuncta disponantur, imperioque ac nutu administrantur?

Quod verò hæc omnia quispiam, non consilio & prudentia summi alicujus artificis, sed casu, & concursu quodam fortuito contingere forsitan suspicetur, adeo ab omni ratione est alienum, ut otiosi potius alicujus cerebri commentum, parumque sanæ mentis delirium censeretur, quàm rationibus refelli. Si enim ne ligneam quidem sphaeram, aut horologium ex pauculis rotis constans, quæ umbra tantum quædam sunt sphaerarum cælestium, casu quis, & temerè compacta unquam vidit, & concursu fortuito coaluisse, nec nisi summā arte & industria peritissimi alicujus artificis: quid de sphaeris ipsis cælestibus, ingentique illā mole, artificiosissimāque machina censendum? quis, inquam, mentis compos casu illam primò coaluisse, casu tantam motuum varietatem quotidie efficere arbitretur?

III.
Nullus me-
tis compo-
sere possit
hæc omnia
casu contin-
gere.

Ratio hæc sanctis Ecclesiæ Patribus efficax adeo est visa, ut neminem esse existiment nisi hebetem planè ac stupidum, qui ei non cedat, unumque summum rerum omnium opificem ac moderatorem argumentum hujus vi convictus non agnoscat. Loquens itaque S. Gregorius Nazianzenus Oratione secundā de cognitione Dei per creaturas: *Prorsus, inquit, habere esse hominem judicij necesse est, qui non sponte sua, naturaliumque demonstrationum vestigiis ed progreditur.* Consonat S. Augustinus, darique hujusmodi Numen, seu virtutem universi creatricem ac moderatricem, certius esse autumat quàm res ipsas existere. Facilius (inquit in Confess. de cognitione Dei ex mundi opificio disserens) *facilius dubitarem utrum ipsemet vivam, quàm utrum vivat veritas illa æterna, cujus sempiterna virtus & divinitas in suis operibus dignoscitur.* Idem docet Tertullianus l. de Spectaculis, c. 2. post principium: *Nemo negat, inquit, quia nemo ignorat, quod ultro natura suggerit, Deum esse universi tati conditorem.* Clarissimè etiam hoc ipsum affirmat S. Basilii Orat. de Verbi Incarnatione, paulò post initium: *Siquis pietatis sectator est, inquit, is, quid Deus sit, curiosè non inquirat: verum ex eis, quæ ab illo facta sunt, eum esse cogitet, illumque certò apud se statuat: siquidem ex procreatarum rerum magnitudine & pulchritudine, illarum molitor & artifex certā quadam ratione dignoscitur & spectatur.* Idem S. Basilii Homilia 12. Hexam. cum aliis Patribus hac ipsa de causā Cælum vocat librum idiotarum: innuens nimirum neminem tam rudè esse & imperitū, qui in Cæli magnitudine, splendore, ac varietate legere nequeat potentiā, majestatem, & sapientiam Conditoris. In quam rem pulcherrimè scribit S. Prosper l. 2. de vocatione Gentium, cap. 4. ubi loquens de illis verbis Apostoli Act. 14. v. 16. *Et quidem non sine testimonio semetipsum (Deus) reliquit: sic habet: Quod est hoc testimonium, quod semper Domino deservivit, & nunquam de ejus bonitate ac potestate contigit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum ejus dives & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quadam æterna legis tabula præbebantur, ut in paginis elementorum, & voluminibus temporum, communis & publica divina institutio in doctrina legeretur.*

IV.
Sancti Pa-
tres hoc ar-
gumentum
existimant
convincere
dari Deum.

S. Gregori-
us Nazian-
zenus.

S. Augu-
stinus.

S. Basilii.

Cæli liber
idiotarum.

S. Prosper
pulcher-
imè
liber, in quo
legantur ex-
cellentia
Creaturis.

Piura sanctorum Patrum ad hoc ipsum probandum adducere possem testimonia: nihil enim apud ipsos

V.

ora causa
cur Athei
Deum ex
creaturis
cognoscant.

iplos frequentius quam ex rebus creatis aperte deduci existentiam Creatoris. Unde, si qui id non videant, non est quoddam res hæc per se clara & manifesta non sit, sed quoddam oculos ultro claudant, cogitationemque aliò avertant, quò liberius luxurientur, sicque pecudum ritu, velut ad pastum & voluptatem abjecti, terræque infixi, mente à Deo, à cælo, aliâque quam præsentī vitâ pro viribus avocant. De quibus aptè S. Gregorius l. 2. moral. c. 15. *Cum amore temporalium flagrent, veram latitantiâ volentes ignorant: quam si studiosè cognoscere quærerent, quam flenda sint gaudia qua appetunt, viderent.*

VI.
Ex nationū
omnium cō-
sensu offen-
ditur dari
Deum.

Secunda Numinis demonstratio, eaque evidens, desumitur ex nationum omnium hac in re conspici ratione & consensu. Hominibus enim in omni orbis parte, jam inde à nascente mundo ita à naturâ insitum est, supremum aliquod Numen esse, cui cultus veneratioque à mortalibus deferatur, & à quo opem in rebus omnibus deposcant; ut monstri instar habitum sit si quis contra, vel leviter quidquam infinuaret. Hinc gravissima in Atheos inflata supplicia: apud Athenienses enim in eos qui Numen negarent, tanquam in homines perniciosos, Reique publicæ perturbatores, ac morum depravatores capite est animadversum: imò proscriptioe punitus est Protagoras, quoddam de re vel dubitaret; & Socrates damnatus est, quoddam Numen esse negare videretur.

Pœnâ iis in-
flicta, qui
Deum nega-
bant.

VII.

Cum ergo in hoc nationes omnes & ætates conspirent, ut ex erectis ubique gentium altaribus, certisque ad cultum Deo peculiariter exhibendum designatis hominibus constet, acrius certe jure cunctis esset, qui de hac re dubitaret, nationumque omnium consensui refragaretur. Si enim qui post tot eorum testimonia qui Romam se aut Constantinopolim vidisse dixerunt, an tamen Roma aut Constantinopolis sit, in dubium vocaret, parum sanæ mentis ab omnibus censeretur, nec tam esset refellendus argumentis, quam sibilis excipiendus: quid de illo existimandum, qui judicio orbis, & sapientissimis nationum omnium & ætatum viris, in re præsertim tanti momenti, se opponeret? exterminandus sine dubio esset ex cætu & convictu hominum, stultæque perviciæ deberet meritas pœnas dare.

VIII.

Accedit, quoddam communis hæc persuasio, Numen scilicet aliquod esse, universi hujus conditorem ac moderatorem, ab ipsâ naturâ humanæ menti innatum sit, & insitum: natura, autem rationalis ut nihil rectæ vitæ, morumque institutioni contrarium, aut ad voluntatis depravationem suggerit, ita nec intellectui falsum inserit, neque illum in errorem suâ quasi sponte & inclinatione propellit: sic enim rationi esset contraria, seque ipsa destrueret.

IX.

Tertia hujus rei probatio inde sumitur, quoddam nefandum hoc Atheorum dogma omni scelerum generi viam referret, hominibusque scdâ quâdam metamorphosi in belluas transmutet. Cujus enim animam hæc semel persuasio invasit, nullam scilicet Numen esse, omni statim vitiorum generi se ultro tradet, voluptatemque sibi scopum præfigens, tum demum beatum se existimabit, cum sordidissimis etiam voluptatibus affluit, quoque est sceleratior, eò sibi videbitur felicior.

X.

Ut verò hujus rationis efficacia clariùs cernatur: Notandum, Dei notitiam duobus modis homines à peccatis detertere: primò, in quantum Deus operationum omnium est inspector, cunctaque quantumvis abdita, conspectui illius sunt pervia: secundò, quatenus est remunerator, à quo scilicet præmia pro rectè factis, pœnam pro peccatis expectant.

XI.

Quoad primum: quotidianâ compertum est ex-

perientia, nihil homines magis à peccando avocare, quam si persuasum habeant, nihil adeò occultè fieri quod aliis non innotescat. *Magnus pars peccatorum tollitur, inquit Romanus Philosophus Epist. 11. si peccatorum testis assistat.* Cum ergo nihil tam secretum sit & latens, quod vigilem Dei oculum, infinitamque ejus perspicaciam fugere possit, magni ad honestè vivendum interest, ut hoc omnium animis infixum sit, esse scilicet Numen aliquod quod occultissima quæque scrutari possit, & intimas etiam cogitationes discernere. Hoc naturali lumine assequutus est idem Seneca Epist. 83. *Sic terrè vivendum est, inquit, tanquam tu conspectu vivamus: Sic cogitandum tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit.* Hoc autem fræno excusso, omnes illic summani sibi peccandi licentiam libertatemque assument, & in omne vitiorum genus quisque pro libidine se præcipitabit.

Hoc verò multò magis sequitur ex secundo: si enim nullum Numen sit, à quo vel præmium homines, vel pœnam expectent, nullum scelus est, quod liberrimè non patrabunt, seque totos in turpitudinum cæno volutabunt, bestiarum similiores quam hominum. Cum ergo hic sit Atheismi fructus, vel hinc aperte constat quàm impium sit illud principium, quod Numine ablegato, rapinis, furtis, sacrilegiis, omnique impietatis generi viam impunè aperit, humanumque convictum & societatem penitus evertit.

Tandem, ut alla omittam, quæ passim videri apud auctores possunt, dari aliquod Numen evidenter probant plurima & manifestissima miracula, quæ nullâ vi naturali patari poterant, ac proinde in virtutem aliquam supra totam naturam refundi debent. Facta autem esse hujusmodi prodigia, evidenter constat testimonio plurimorum, & vitæ integritate, & sapientiâ, ac doctrinâ excellentium, ita ut quicquid ea in dubium vocaverit, dubitare perinde possit de te quavis nobis ab antiquis Historicis traditâ. Accedunt pœnæ blasphemis, & perjuriis sæpissimè, plurimis etiam inspectantibus inflatæ: nullumque ferme peccatum est quod manifestiore Deus supplicio & vindictâ in hoc modo puniverit, quàm hæc duo, utpote ei imprimis injuriosa, summoque ejus Numini directè opposita.

Hactenus moralibus argumentis Primæ Causæ existentiam declaravimus, quæ mihi videntur id evidenter convincere: nunc breviter rationem Metaphysicam, quæ non minus ad id mihi efficax videtur, adjungam.

Et imprimis suppono, nihil posse seipsum primò producere, quod præterquam quoddam lumine naturæ notum, communi omnium consensu admittitur, indeque ortum habuit axioma illud, quod apud omnes semper oraculi instar est habitum, *quidquid sit, ab alio sit.* Ratio autem est evidens: quidquid enim operatur, debet pro illo priori habere vim sufficientem operativam, & consequenter esse, esse enim semper est aliquo modo prius quam operari.

Cum ergo nihil, vel primò producere, vel conservare possit seipsum, inquiri, Petrus à quo jam, in rebus seu hoc instante conservetur? si dicas, à cælo, inquiri ulterius, cælum à quo conservetur? Abire hic non possumus in infinitum, cum sit determinatus numerus rerum jam existentium, ergo ad aliquid tandem deveniendum, quod reliqua omnia conservet, & ab iis non conservetur; hoc autem necessariò debet esse *Ens à se*, & superioris ordinis ad res omnes creatas, & consequenter Deus.

Hoc argumentum mihi efficacius videtur illo, quod proponi solet de primâ rei cuiusque productione: hoc enim eludi utcuq; solet dicendo, fuisse successionem causarum jam inde ab æterno, quatu-

Opinio, quæ
nihil fieri
possit secretè,
multa pec-
cata impe-
dit.

Sic vivendum
est, tanquam
in conspectu
vivamus.

XII.
Si nullum
Numen sit,
homines in
omni scelerum
genera prolabentur.

XIII.
Ex miraculis
supernaturalibus
factis
probatur
existentia
Numinis.

Blasphemia
& perjuriis
cur crebris
hic à Deo
punita.

XIV.

XV.
Ratio Meta-
physica ad
probandum
Deum ex-
istere.
Quidquid
sit, ab alio
sit.

XVI.
In rebus
existentibus
dari debet
prima causa
à qua res om-
ne dependet.

XVII.

Hoc aren-
mentum co-
m-ge-ri-
quod videret
tenebras in-
finit.

rum una alteram propagatione continuatâ ad hoc usque tempus produxit, nullamque inter eas fuisse primam: cumque solutio hæc abdat se intra tenebras infiniti, non tam clare refellitur. Hic verò, cum res, quæ simul existunt, non sint nisi finitæ, solutio illa locum habere non potest.

XVII.

S. Thomas
quinque p-
tinas ratio-
nes offert ad
Demonstran-
dum dari
Deum.

Hæc mihi sufficere videntur ad evidenter ostendendum, dari summum aliquod Numen, à quo hoc universum creatum sit, & etiamnum conservetur, ac gubernetur. Qui plura hæc de re cupit, legat S. Thomam I. p. q. 2. art. 3. ubi quinque optimas rationes ad hoc probandum affert. Latet etiam hanc quaestionem disputat Suarez d. 29. Metaph. sec. 2. Tannerus I. p. d. 1. quaest. 1. d. 4. Lessius in e- uditissimo opere de Providentiâ Numinis, Ubi rem hanc fulissimè & doctissimè declarat.

SECTIO II.

Quid sit Deus.

I.

Perfectissimæ
Divine ad-
mirandæ non
curiosus in-
quirenda.

Cum sectione præcedente Deum esse ostendimus hic in illius naturâ & perfectionibus indagandis vires omnes & conatus esse ne adhibendi, nisi materiæ majestas, & celsitudo obstaret, quam cum capere nullus possit, admirari satius est quam curiosius indagare: nam, ut ait sapiens Prov. 15. v. 27. *qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloriâ*, utpote quam nullus intellectus concipere, nulla lingua exprimere, nec citra errandi periculum de eâ loqui potest. In quam rem non inicitè quidam, *vel vera de Deo dicere periculosum est*.

II.

Quo quis
scrutando
altius se in
perfectiones
Dei immer-
git, eo magis
latens.

Ex Simonide non infimè notæ Philosopho dum aliquando quæreretur quid esset Deus, alium & alium semper diem poposcit, nec unquam suam hac in parte sententiam aperire voluit, addens, quo se altius in rem hanc immergeret, eo eam magis latere, seque ab indagantis oculo subducere. Idem nobis in præsentī, qui Philosophicis terminis circumscribimur, non immeritò præstandum: qui enim ad manifestissimam etiam naturæ cæcutimus, quæque oculis subjiciuntur, evolvere non possumus, quid dum in illo mentis oculos defigimus, *qui lucem habet inaccessibilem*, & ad ejus disquisitionem non minùs naturalis ratio caligat, quàm noctua ad solem? in ejus proinde considerationem si se audaciùs ingerat, vera falsis, dignis indigna miscebit.

Lege olim
cautum ne
quis quæret
quid esset
Deus.

Huc fortassis alludebant olim antiqui, apud quos, ut meminit Plato, lege cautum erat, nequis inquireret quid esset Deus. Quæ etiam de causâ ciconiam dicebant avem esse Deo sacram, Deoque eam in sacrificio offerebant, quod eam linguâ carere crederent. Quæ etiam sacra tanto omnium silentio peragebantur, ut verbum nullum audiretur, designatque astabant qui labiū indice compri-

Ciconia cur
ab antiquis
consecratur

mentes, aut omnibus silentium indicere. Dei autem Deo / nimirum excellentias admirandas potius & sacro quodam silentio obtegendas, ac taciturnitatis sigillo perpetuo obsignandas innuentes, quam importuna loquacitate effutendum illud, quod nullis, quantumvis eruditis verbis explicari pro dignitate queat. Quo tamen silentio, & muto sacrificio magis præstantiam Dei & excellentias prædicabant, quam si sacra eidem maxime vocalia instituissent. Quid enim aliud hoc factò profitebantur, quàm Deum solem esse quem nullius mortalis contueri infirma acies queat: Abyssum, quam quantumcunque haurias, nunquam tamen exhaurias: Labyrinthum, in quo omnes sese perdat oratio: esse demum abditum quiddam, & reconditum quod cum esse omnes norint, quid tamen sit, declarare homini omnis ingenij vires excedat.

Antiqui si-
lente sacrifi-
cio Dei ex-
cellentias
prædicabant.

Esti verò summi hujus Numinis præstantiæ nec intellectus creatus, nec oratio reperiri par ulla possit, nonnullas tamen ejus proprietates, quantum fas est Philosopho nostrique hic instituti ratio postulat, vel ipsâ naturâ duce investigabimus, eas nimirum, quarum, in rebus quas oculis subjectas habemus, vestigia quædam & scintillas cernimus. Ex acta enim hujus rei discussio spectat ad primam partem, ubi eam latè tractavi, d. 2. 3 & 4.

III.

Quædam
Dei perfectio-
nes, vel ipsâ
naturâ duce
indagari pos-
sunt.

Est ergo Deus Ens quoddam infinitum, immensum, æternum, spatia omnia ac tempora præsentia sua ambiens & complectens, cujus scientiâ nihil fugit, summè potens, simplex, immortalis, cuncta nutu suo ac providentiâ conservans ac regens, ab iis tamen ita independens, ut licet perirent universa & in nihilum relaberentur, manere tamen Deus, invariatusque in suo esse persisteret, summè felix, se ac suis perfectionibus perpetuò fruens, cui sicut nihil ex rerum creatarum consortio accrescit commodi, ita nihil ex earum interitu decresceret. Deus, inquit S. Aug. *totus oculus est quia omnia videt; totus manus est, quia omnia operatur; totus pes est, quia ubique est*.

IV.

Quarundam
Dei perfectio-
num brevis
enarratio.

Si verò ulterius curiosè inquireat quispiam, in quo sitas sit primus Dei, conceptus seu essentia, ut ajunt, is Philosophicos limites egreditur: hæc enim quaestio scientiarum omnium principis Theologiæ est propria.

V.

Deus, totus
oculus est, to-
tus manus,
totus pes.

Nobis interim faciendum, quod in simili fecisse fertur Aristoteles; qui cum maris vastitatem, crebroque Euripi fluxus & refluxus complecti mente non posset, se, ut fama est, in mare dejiciens, quia, inquit, *ego te non capio, tu me recipe*. Cum itaque immensum hunc Divinitatis Oceanum capere, & intra se continere nullus possit, in eum se projiciens, exclamet cum Aristoteles, *quia ego te non capio, tu me recipe*. Tu ergo me, hosque qualescunque conatus ac labores in rerum naturalium expositione impensos recipe, utque tuâ ope suscepti sunt ac perfecti, ita in tuum fac honorem cedant.

VI.

Omnia ad
Deum refe-
renda.

F I N I S.